

LIVIUS ET POLYBIUS
SCIPIONIS RERUM SCRIPTORES.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

F. FRIEDERSDORFF
HALBERSTADIENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXIX.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
GUIL. FR. KAESTNER.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

ERNESTO DE LEUTSCH

HERMANNO SAUPPE

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

LIVIUS ET POLYBIUS,

SCIPIONIS RERUM SCRIPTORES.

De fontibus decadis tertiae Livianae scripturo magna se offert multitudo eorum, qui de libris XXI et XXII doctas quaestiones instituerunt; de libris posterioribus decadis III post Lachmannum nemo fere accuratius disputavit. Cujus disputationis summum discrimen cum in eo versetur, ut origo similitudinis Livii et Polybii explicetur, similitudo autem illa non solum in libris XXI—XXII Livii, sed multo magis etiam in posterioribus inveniatur, is mihi ad difficilem quaestionem solvendam haud spernenda videtur addere, qui posteriorum librorum verum fontem invenerit; quo cognito et cum libris XXI—XXII comparato, quid discriminis inter utrumque intercedat, et quibus in rebus consentiant, facile apparebit. Quod cum non sine aliqua difficultate fieri posse intelligerem, opus aggressus sum non virium fiducia, neque ut cum hominibus doctis iniquum certamen inirem, sed quia res ipsa inter legendum et comparandum magis magisque me alliciebat.

Etenim cum Livii libros lectitarem et Polybium non ita raro adirem, primum me cepit similitudo librorum Livii XXI—XXII et Polybii III; deinde, cum pergerem in legendo, praeter eas partes, quas sine dubio ex Polybio desumptas putabam, iterum inveni similitudinem in libris XXVI—XXX

Livii et X—XV Polybii: quibus saepius perlectis cum omnes Livii partes, quae cum Polybio consentirent, ad Scipionis expeditiones in Hispaniam et in Africam pertinere viderem, ceteras autem Livii narrationes a Polybio diversissimas cognoscerem esse, facere non potui, quin de illarum rerum origine paullo accuratius quaestionem instituerem.

Itaque non erit huius loci, Livii libros XXI—XXII cum Polybii III comparare; permulti enim homines docti de his libris scripserunt [1]), alii aliam sententiam professi, plerique autem F. Lachmannum secuti, qui in commentatione: de fontibus historiarum Titi Livii. (Gottingae 1822. 1829) inde a libro XXI Polybium Livii esse fontem dixerat.

Ac maxime quidem Niebuhrium laudabant, quippe qui, ut homo summae doctrinae ac sagacitatis, quamquam non prorsus recte, tamen rectius quam ceteri de ratione judicasset, quae inter Livium et Polybium intercederet. Dicit igitur. (De historia Roman. praelect. ed. Schmitz. p. 84) „Livius tum demum, cum de rebus Philippi, regis Macedonum, dicturus esset, Polybium adiit.“ Rectissime quidem; sed infra: p. 204—205. „Sed nonnullis in partibus velut in pugna Cannensi, Livius accuratissime Polybium sequitur.“ — Itaque ne illius quidem viri judicium sibi constat; quod eo

---

1) Cfr. C. Peter, Über die Quellen des XXI—XXII Buches des Livius programm. Portens. 1863; qui inde a Livii l. XXI. quae cum Polybio consentiant, Polybio; reliqua L. Caelio Antipatro deberi putat; quem sequitur: O. Meltzer, De L. Caelio Antipatro belli punici secundi scriptore. Halle 1867. — Tillmanns, annales philolog. B. 83. p. 844 ff. a libro XXIII Polybium putat fontem. — Nitzsch, Kieler Monatszeitung für Wiss. u. Litt. Kiel. Januar 1854, in libris XXI—XXII Livii et in III Polybii communem fontem putat esse: Q. Fabium Pictorem, nunc aliam sententiam profitetur: v. Sybels histor. Zeitschrift 1864. B. 11. p. 1 ff., ubi Silenum communem fontem esse dicit; quam sententiam magis explanavit: C. Böttcher, Quaestiones criticae de T. Livii libro XXI—XXII fontibus. Regiomont. 1867. — C. Bujack, de Sileno, scriptore Hannibalis. Regiomont. 1859. — Schwegler, röm. Geschichte. B. I. p. 110. — Lucas, de ratione, qua Livius in libris historiarum conscribendis usus est opere Polybiano. Glogau Osterprogr. 1854. p. 17. Michael, In wie weit hat Livius den Polyb. benutzt? Torgau. Progr. 1859.

magis miremur, cum jam Lachmannus II, p. 32 largius exposuerat, in hac ipsa pugna Cannensi describenda Livium a Polybio longe diversum esse.

Sed qui Nissenii accuratas quaestiones de genere scribendo Liviano inspexerit, cognoscet, omnes illos saepius quasi falsam quandam speciem sectari ac rerum verborumque fallaci similitudine deceptos inter se pugnantia aut non vidisse, aut facili modo explicanda putavisse. (H. Nissen, Quaestiones criticae de fontibus decadis IV et V Livianae. Berolini 1863).

Censebant enim, Livii opus ex tribus quasi partibus compositum esse; ex una, (ut recentiorum verbis utar) quam mere polybianam, ex altera, quam mere annalisticam, ex tertia, quam his duabus partibus inter se conjunctis et coaugmentatis genus scribendi mixtum appellabant [2]). Sed genus illud mixtum omnino ferri non posse jam inde apparet, quod iis tantum locis inveniri potest, qui cum maxima ex parte Polybium autorem videantur sequi, nonnullis rebus, iisque falsis, ex annalibus desumptis magis depravati, quam correcti sunt; quod autem nunquam loci, in universum annalium modo conscripti, ex pragmatia Polybiana aucti et amplificati sunt. Videbant hoc antiqui; sed mirabantur tantum, quod Livio studium fuisset, falsis narratiunculis et fabellis narrationem Polybii maculandi [3]).

Accedebat ad hunc errorem alius. Liber III enim Polybii et ll. XXI—XXII Livii cum soli integri essent conservati, aptissimi putabantur ad comparandum. Et recte quidem; sed in eo errabant, quod eandem rationem, quam in his libris etiam in ceteris inter duos illos scriptores intercedere

2) Lucas. l. l. p. 17.: Livius aut res a Polybio narratas iis, quae apud annalium scriptores legebantur, amplificavit, aut artius eas contraxit. cfr. O. Meltzer, de Caelio Antip. p. 45. Similiter judicat. C. Peter. l. l. p. 73.

3) Deluc, in epistola bibliothecae universali Genev. 1819. II, p. 50 sq. insita (Lachmann II, 91): En général j'ai remarqué dans le petit nombre de chapîtres de Tite Live, que j'ai eu occasion de comparer avec ceux de Polybe, que toutes les fois, que le premier auteur en copiant le second, yajoutait ou y changait quelque chose, il se mettait en contradiction avec lui même, ou il en resultait quelque absurdité.

credebant. Livius enim in decade tertia raro ex Polybio descripsit, saepissime in quarta et quinta, quod jam Michael. l. l. ita perspexerat, ut non multum a veritate aberraret[4]).

Sed prorsus nulla causa fuit, cur inter Livium et Polybium his locis aliam rationem intercedere putarent, quam inter Livium et Dionysium, qui saepe inter se constentiunt, sed quorum consensus ex veteribus annalibus est derivandus, quos uterque secutus est[5]).

Haec igitur homines docti ante Nissenîum. Ille autem (Quaestiones criticae etc.) Livio cum Polybio comparato perspexit, Livium autores, quos secutus est, non amplificavisse et correxisse, sed descripsisse; (p. 80—82) modo tardius, modo celerius; (p. 33 infine) quid intersit inter annales et Polybium eum non semper vidisse, nisi ubi illi mentiendi voluptati nimis se dedissent; (p. 50 an. 9). Si utrorumque narrationes conjunguntur, nulla cura adhibita, juxta se ponuntur; (p. 107). Quare saepius accidit, ut eadem res, quae apud utrosque prorsus aliter narrata erat, bis apud eum legatur, neque Livius videatur perspexisse, has narrationes inter se non convenire. (p. 120 sq.).

Nunquam autem res inter se contaminavit, quod Peterus eum simili ratione, qua comoediarum scriptores, fecisse dicit (cfr. Nitzsch, in museo rhenano XXIII, p. 600—601).

Quod Nissenii judicium secutus Boettcher Regiomonti 1867 de fontibus librorum Livii 21—22 scripsit[6]); cui, cum

---

4) p. 16. „Es sind nach meiner Meinung nur die Ereignisse in Griechenland, Macedonien, Asien und Aegypten, für die Livius den Polybius als Hauptquelle benutzt hat, aber auch so treu benutzt hat, dass er bis zum 45. Buche für — Polybius einen fast vollkommenen Ersatz gewährt"; recte, sed in eo erravit, quod in decade tertia Livium nunquam ex Polybio dicit descripsisse; cfr. Lachmann II, p. 51—52; qui jam senserat, „*non eodem modo* quo in decade tertia etiam *in quarta Polybium esse conversum.*"

5) C. Peter, progr. Anclam. 1853. Das Verhältniss des Livius und Dionysius von Halicarnass zu einander und zu den ältesten Annalisten p. 11—12.

6) Nitzsch, v. Sybels histor. Zeit. 1864 p. 20. — M. Buchholz. Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit. Gryphswald. 1865.

in universum recte disputavit, de summa rerum erit assentiendum, sc. communem esse fontem, quem in his libris et Livius et Polybius secuti sint, (p. 26 etc.); quae eum non recte demonstrasse putamus, infra explicabimus. Priores igitur libros decadis III mittamus; quaestionemque de posterioribus instituamus.

Quorum maximam fere partem, si Nissenium sequimur, apparet, annales autores habere ac recte homines doctos judicasse, cum solas res Graecas ex Polybii pragmatia desumptas esse dicerent. Ac Nissenius quidem (p. 85) polybiana putat oppugnationem Syracusarum XXIV, 4—7; 21—39 XXV, 23—31 expugnationem Tarenti, XXV, 7—11. XXVIII, 5—8: XXIX, 12. bellum cum Philippo, XXIV, 40. XXVI, 24—26. XXVII, 29—32. quibus equidem addiderim pugnam navalem ad Tarentum XXVI, 39; defectionem Metapontinorum et Thurinorum XXV, 15; et nonnulla alia, de quibus dubitari possit.

Sed non cadunt in hanc regulam, quae in libro Liv. XXIX de crudelitate Plemminii in Locrenses ac de ejus accusatione apud senatum narrantur[7]); quae quam quam ad urbem graecam pertinent, tamen Romanum habent autorem autque ejus quidem factionis, quae Scipionis gloriae detrectare studebat. (L. XXIX, c. 6—9. 16—22) cfr. Weissenborn ad 29, 9, 12 H. Peter: De fontibus Plutarchi in vitis Romanorum conscribendis p. 51—56. Ad has igitur partes, quae ex Polybio desumptae videntur, proxime accedunt aliae quaedam, quae cum Polybii fragmentis simillimae sint, tamen nonnulla habent ab iis aliena, ita ut ab iis, qui Lachmanni sententiam sectabantur, ad genus mixtum fere pertinere dicerentur. Quas partes cum in libris Livii XXVI—XXX invenire putarem, omissis libris XXI—XXII mihi perquirendas proposui, simul ut fontem earum, quantum fieri posset perspicerem. Atque causas quidem, cur haec capp. a reliquis diversa putaremus, omnes recensere, non esset hujus loci; certe consensus cum Polybii fragmentis gravissima erit causa. Ab hoc igitur

7) Videntur ad eundem fontem pertinere XXIV, 7—9; ubi Fabius laudibus effertur; (XXIV, 9, 11) et XXVIII, 40—45; hic quoque fons cum voluptate quadam narrat, quam infesti patres et tribuni Scipioni fuerint. cfr. H. Peter. l. l.

consensu cum in judicio de ceteris capp. ferendo sit exeundum, id jam per se patet, de iis rebus omnino agi non posse, quae ad magistratus creandos, prodigia recensenda, alia, quae in annalibus perscripta erant, pertinent, qualia sunt XXVI c. 1—4; c. 21—24; c. 26—37. XXVII, c. 4—11; c. 20—27; c. 33, 6—38. XXVIII, c. 4, 5—7; c. 9—12. Quae cum a Polybio prorsus abesse debeant, missa faciamus; sed ea quoque, quae res in Italia ab Hannibale et contra eum gestas continent, aut a Polybio prorsus dissentiunt, aut talia videntur, ubi fragmenta nos deficiunt, vix ut in pragmatia locum habuisse possint. Sic apud Livium XXVI, c. 14—17 in narranda Capuae oppugnatione traditur, Fulvius consul una cum legionibus Capua relicta Hannibalem ad Romam secutus esse, quam narrationem nihil crediderim esse, nisi imitationem notissimi illius itineris Neronis contra Hasdrubalem. Liv. XXVII, c. 43, 9. Polybius autem contrarium affert: IX, 7, 7 μένειν ἐπὶ τῆς πολιορκίας τοὺς περὶ τὸν Ἄππιον, dicitque IX, 8 Consules dilectu forte sub id ipsum tempus instituto, subitarium exercitum contra Hannibalem eduxisse. — Idem quadrat in ea, quae in Liv. libro XXVII leguntur, ac maxime in ea, quae de pugna ad Metaurum narrantur, quamquam nonnullis in rebus cum Polybio videntur consentire. Sed apud Livium legimus, XXVII, 47, 9 Hasdrubalem a ducibus desertum ad pugnam coactum esse; Polybius XI 3, 1 Gallos vino repletos circa vias stratos fuisse narrat, quos Livius somno fatigatos in terram delapsos dixerat.

Sed res in Hispania et in Africa a Scipione gestae fere semper eodem modo, quo a Polybio exponuntur; nonnunquam etiam iis, quae in Italiae rebus gestis narrandis afferuntur, prorsus repugnant. Sic in rebus Scipionis tradendis numquam dicitur, Hasdrubal sibi proposuisse in Italiam trajicere, immo post pugnam ad Baeculam factam demum videtur hoc consilium cepisse; quod in iis partibus, quae ad res Italiae pertinent, saepius legitur, XXVII, c. 6. c. 7. c. 35, 3; Romanique hoc nuntio perculsi dictatorem dicunt. Accedit, quod XXVI, 51, 3 Laelius Carthagine nova a Scipione Romam mittitur; annales autem XXVII, 7 dicunt, eum Tarracone esse profectum. Quibus praemissis ad ea capita, quae res

Hispaniae et Africae continent, quae Polybio simillima neque tamen ex eo desumpta diximus, nos convertamus.

Ac primum quidem, si narrationes rerum in his terris gestarum perlustramus, haeremus in libro XXV, c. 32—39. Etenim cum in hoc libro res in Italia gestae accuratissime explicentur, nominibus regionum, urbium, vicorum additis; mirum quantum earum rerum in Hispania sit scriptoris ignorantia. Publius igitur et Cn. Scipio ex hibernis, quae ignota sunt, proficiscuntur; c. 32, 1; alter contra Magonem, alter contra Hasdrubalem iterfacturus, quos ubi versentur ignoramus, nisi quod Magonem quinque dierum iter abesse audimus [8]). Publius autem a Poenis circumventus cum exercitu deletur paucis perfugis relictis c. 35, 15; neque dicitur, quo loco. Cneius contra ab Hispanis destistutus se recipit, neque dicitur, in quam regionem; Poeni eum persecuti circumveniunt, neque dicitur, quo loco. c. 35—36. Nunc demum c. 37, 8 audimus, Poenos Hiberum transiisse, unde apparet, quae ante narrata erant, in ulteriore Hispania gesta esse; Marcius autem, eques Romanus, parvo exercitu collecto primum Poenos a vallo coercet, tum una nocte duo castra Poenorum opprimit capitque, vix nuntio cladis relicto.

Itaque intra septem capitum spatium omnes Poeni non minus misere perierunt, quam Romani; nos autem cum ex tota descriptione, tum ex iis quae sequuntur, suspicionem capimus, res non ita gestas esse, sicut Livius narrat [9]) Haec omnia enim magno verborum splendore ornata atque arte rhetorica expolita inter pulcherrimas operis Liviani partes referuntur; atque videtur scriptor ex hac narratione, quamquam omni regionum definitione et rerum inter se nexu caret, quasi gaudium quoddam percepisse [10]).

8) Accedit, quod locus non ab omni graviore corruptela vacat; sic c. 32, 2 pro »Ibi« malis nomen urbis legi; poteras de »Ide« vel »Ibe« (L. XXVIII, 21, 7) cogitare; etiam Amtorgis, c. 32, 5, vel Antorges, c. 32, non potest recte habere; prorsus corrupta sunt c. 33, 2—3. Etiam ratio belligerendi c. 32, 4—6 et 32, 10 non perspicitur.

9) De difficultatibus chronologicis huius loci cfr. U. Becker, Vorarbeiten zu einer Geschichte des 2ten punischen Krieges (in Dahlmanns Forschungen II, 2); p. 113—114.

10) Non sine aliqua veritatis specie Claudium, qui Annales Acilianos

1871, Oct. 14.
Salisbury Fund.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

ERNESTO DE LEUTSCH

HERMANNO SAUPPE

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

LIVIUS ET POLYBIUS,

SCIPIONIS RERUM SCRIPTORES.

De fontibus decadis tertiae Livianae scripturo magna se offert multitudo eorum, qui de libris XXI et XXII doctas quaestiones instituerunt; de libris posterioribus decadis III post Lachmannum nemo fere accuratius disputavit. Cujus disputationis summum discrimen cum in eo versetur, ut origo similitudinis Livii et Polybii explicetur, similitudo autem illa non solum in libris XXI—XXII Livii, sed multo magis etiam in posterioribus inveniatur, is mihi ad difficilem quaestionem solvendam haud spernenda videtur addere, qui posteriorum librorum verum fontem invenerit; quo cognito et cum libris XXI—XXII comparato, quid discriminis inter utrumque intercedat, et quibus in rebus consentiant, facile apparebit. Quod cum non sine aliqua difficultate fieri posse intelligerem, opus aggressus sum non virium fiducia, neque ut cum hominibus doctis iniquum certamen inirem, sed quia res ipsa inter legendum et comparandum magis magisque me alliciebat.

Etenim cum Livii libros lectitarem et Polybium non ita raro adirem, primum me cepit similitudo librorum Livii XXI—XXII et Polybii III; deinde, cum pergerem in legendo, praeter eas partes, quas sine dubio ex Polybio desumptas putabam, iterum inveni similitudinem in libris XXVI—XXX

Livii et X—XV Polybii: quibus saepius perlectis cum omnes Livii partes, quae cum Polybio consentirent, ad Scipionis expeditiones in Hispaniam et in Africam pertinere viderem, ceteras autem Livii narrationes a Polybio diversissimas cognoscerem esse, facere non potui, quin de illarum rerum origine paullo accuratius quaestionem instituerem.

Itaque non erit huius loci, Livii libros XXI—XXII cum Polybii III comparare; permulti enim homines docti de his libris scripserunt [1]), alii aliam sententiam professi, plerique autem F. Lachmannum secuti, qui in commentatione: de fontibus historiarum Titi Livii. (Gottingae 1822. 1829) inde a libro XXI Polybium Livii esse fontem dixerat.

Ac maxime quidem Niebuhrium laudabant, quippe qui, ut homo summae doctrinae ac sagacitatis, quamquam non prorsus recte, tamen rectius quam ceteri de ratione judicasset, quae inter Livium et Polybium intercederet. Dicit igitur. (De historia Roman. praelect. ed. Schmitz. p. 84) „Livius tum demum, cum de rebus Philippi, regis Macedonum, dicturus esset, Polybium adiit.“ Rectissime quidem; sed infra: p. 204—205. „Sed nonnullis in partibus velut in pugna Cannensi, Livius accuratissime Polybium sequitur.“ — Itaque ne illius quidem viri judicium sibi constat; quod eo

1) Cfr. C. Peter, Über die Quellen des XXI—XXII Buches des Livius programm. Portens. 1863; qui inde a Livii l. XXI. quae cum Polybio consentiant, Polybio; reliqua L. Caelio Antipatro deberi putat; quem sequitur: O. Meltzer, De L. Caelio Antipatro belli punici secundi scriptore. Halle 1867. — Tillmanns, annales philolog. B. 83. p. 844 ff. a libro XXIII Polybium putat fontem. — Nitzsch, Kieler Monatszeitung für Wiss. u. Litt. Kiel. Januar 1854, in libris XXI—XXII Livii et in III Polybii communem fontem putat esse: Q. Fabium Pictorem, nunc aliam sententiam profitetur: v. Sybels histor. Zeitschrift 1864. B. 11. p. 1 ff., ubi Silenum communem fontem esse dicit; quam sententiam magis explanavit: C. Böttcher, Quaestiones criticae de T. Livii libro XXI—XXII fontibus. Regiomont. 1867. — C. Bujack, de Sileno, scriptore Hannibalis. Regiomont. 1859. — Schwegler, röm. Geschichte. B. I. p. 110. — Lucas, de ratione, qua Livius in libris historiarum conscribendis usus est opere Polybiano. Glogau Osterprogr. 1854. p. 17. Michael, In wie weit hat Livius den Polyb. benutzt? Torgau. Progr. 1859.

magis miremur, cum jam Lachmannus II, p. 32 largius exposuerat, in hac ipsa pugna Cannensi describenda Livium a Polybio longe diversum esse.

Sed qui Nissenii accuratas quaestiones de genere scribendo Liviano inspexerit, cognoscet, omnes illos saepius quasi falsam quandam speciem sectari ac rerum verborumque fallaci similitudine deceptos inter se pugnantia aut non vidisse, aut facili modo explicanda putavisse. (H. Nissen, Quaestiones criticae de fontibus decadis IV et V Livianae. Berolini 1863).

Censebant enim, Livii opus ex tribus quasi partibus compositum esse; ex una, (ut recentiorum verbis utar) quam mere polybianam, ex altera, quam mere annalisticam, ex tertia, quam his duabus partibus inter se conjunctis et coaugmentatis genus scribendi mixtum appellabant [2]). Sed genus illud mixtum omnino ferri non posse jam inde apparet, quod iis tantum locis inveniri potest, qui cum maxima ex parte Polybium autorem videantur sequi, nonnullis rebus, iisque falsis, ex annalibus desumptis magis depravati, quam correcti sunt; quod autem nunquam loci, in universum annalium modo conscripti, ex pragmatia Polybiana aucti et amplificati sunt. Videbant hoc antiqui; sed mirabantur tantum, quod Livio studium fuisset, falsis narratiunculis et fabellis narrationem Polybii maculandi [3]).

Accedebat ad hunc errorem alius. Liber III enim Polybii et ll. XXI—XXII Livii cum soli integri essent conservati, aptissimi putabantur ad comparandum. Et recte quidem; sed in eo errabant, quod eandem rationem, quam in his libris etiam in ceteris inter duos illos scriptores intercedere

2) Lucas. l. l. p. 17.: Livius aut res a Polybio narratas iis, quae apud annalium scriptores legebantur, amplificavit, aut artius eas contraxit. cfr. O. Meltzer, de Caelio Antip. p. 45. Similiter judicat. C. Peter. l. l. p. 73.

3) Deluc, in epistola bibliothecae universali Genev. 1819. II, p. 50 sq. insita (Lachmann II, 91): En général j'ai remarqué dans le petit nombre de chapîtres de Tite Live, que j'ai eu occasion de comparer avec ceux de Polybe, que toutes les fois, que le premier auteur en copiant le second, yajoutait ou y changait quelque chose, il se mettait en contradiction avec lui même, ou il en resultait quelque absurdité.

credebant. Livius enim in decade tertia raro ex Polybio descripsit, saepissime in quarta et quinta, quod jam Michael. l. l. ita perspexerat, ut non multum a veritate aberraret[4].

Sed prorsus nulla causa fuit, cur inter Livium et Polybium his locis aliam rationem intercedere putarent, quam inter Livium et Dionysium, qui saepe inter se consentiunt, sed quorum consensus ex veteribus annalibus est derivandus, quos uterque secutus est[5].

Haec igitur homines docti ante Nissenîum. Ille autem (Quaestiones criticae etc.) Livio cum Polybio comparato perspexit, Livium autores, quos secutus est, non amplificavisse et correxisse, sed descripsisse; (p. 80—82) modo tardius, modo celerius; (p. 33 infine) quid intersit inter annales et Polybium eum non semper vidisse, nisi ubi illi mentiendi voluptati nimis se dedissent; (p. 50 an. 9). Si utrorumque narrationes conjunguntur, nulla cura adhibita, juxta se ponuntur; (p. 107). Quare saepius accidit, ut eadem res, quae apud utrosque prorsus aliter narrata erat, bis apud eum legatur, neque Livius videatur perspexisse, has narrationes inter se non convenire. (p. 120 sq.).

Nunquam autem res inter se contaminavit, quod Peterus eum simili ratione, qua comoediarum scriptores, fecisse dicit (cfr. Nitzsch, in museo rhenano XXIII, p. 600—601).

Quod Nissenii judicium secutus Boettcher Regiomonti 1867 de fontibus librorum Livii 21—22 scripsit[6]; cui, cum

---

4) p. 16. „Es sind nach meiner Meinung nur die Ereignisse in Griechenland, Macedonien, Asien und Aegypten, für die Livius den Polybius als Hauptquelle benutzt hat, aber auch so treu benutzt hat, dass er bis zum 45. Buche für — Polybius einen fast vollkommenen Ersatz gewährt"; recte, sed in eo erravit, quod in decade tertia Livium nunquam ex Polybio dicit descripsisse; cfr. Lachmann II, p. 51—52; qui jam senserat, *„non eodem modo quo in decade tertia etiam in quarta Polybium esse conversum."*

5) C. Peter, progr. Anclam. 1853. Das Verhältniss des Livius und Dionysius von Halicarnass zu einander und zu den ältesten Annalisten p. 11—12.

6) Nitzsch, v. Sybels histor. Zeit. 1864 p. 20. — M. Buchholz. Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit. Gryphswald. 1865.

in universum recte disputavit, de summa rerum erit assentiendum, sc. communem esse fontem, quem in his libris et Livius et Polybius secuti sint, (p. 26 etc.); quae eum non recte demonstrasse putamus, infra explicabimus. Priores igitur libros decadis III mittamus; quaestionemque de posterioribus instituamus.

Quorum maximam fere partem, si Nissenium sequimur, apparet, annales autores habere ac recte homines doctos judicasse, cum solas res Graecas ex Polybii pragmatia desumptas esse dicerent. Ac Nissenius quidem (p. 85) polybiana putat oppugnationem Syracusarum XXIV, 4—7; 21—39 XXV, 23—31 expugnationem Tarenti, XXV, 7—11. XXVIII, 5—8. XXIX, 12. bellum cum Philippo, XXIV, 40. XXVI, 24—26. XXVII, 29—32. quibus equidem addiderim pugnam navalem ad Tarentum XXVI, 39; defectionem Metapontinorum et Thurinorum XXV, 15; et nonnulla alia, de quibus dubitari possit.

Sed non cadunt in hanc regulam, quae in libro Liv. XXIX de crudelitate Plemminii in Locrenses ac de ejus accusatione apud senatum narrantur[7]); quae quam quam ad urbem graecam pertinent, tamen Romanum habent autorem autque ejus quidem factionis, quae Scipionis gloriae detrectare studebat. (L. XXIX, c. 6—9. 16—22) cfr. Weissenborn ad 29, 9, 12: H. Peter: De fontibus Plutarchi in vitis Romanorum conscribendis p. 51—56. Ad has igitur partes, quae ex Polybio desumptae videntur, proxime accedunt aliae quaedam, quae cum Polybii fragmentis simillimae sint, tamen nonnulla habent ab iis aliena, ita ut ab iis, qui Lachmanni sententiam sectabantur, ad genus mixtum fere pertinere dicerentur. Quas partes cum in libris Livii XXVI—XXX invenire putarem, omissis libris XXI—XXII mihi perquirendas proposui, simul ut fontem earum, quantum fieri posset perspicerem. Atque causas quidem, cur haec capp. a reliquis diversa putaremus, omnes recensere, non esset hujus loci; certe consensus cum Polybii fragmentis gravissima erit causa. Ab hoc igitur

7) Videntur ad eundem fontem pertinere XXIV, 7—9; ubi Fabius laudibus effertur; (XXIV, 9, 11) et XXVIII, 40—45; hic quoque fons cum voluptate quadam narrat, quam infesti patres et tribuni Scipioni fuerint. cfr. H. Peter. l. l.

consensu cum in judicio de ceteris capp. ferendo sit exeundum, id jam per se patet, de iis rebus omnino agi non posse, quae ad magistratus creandos, prodigia recensenda, alia, quae in annalibus perscripta erant, pertinent, qualia sunt XXVI c. 1—4; c. 21—24; c. 26—37. XXVII, c. 4—11; c. 20—27; c. 33, 6—38. XXVIII, c. 4, 5—7; c. 9—12. Quae cum a Polybio prorsus abesse debeant, missa faciamus; sed ea quoque, quae res in Italia ab Hannibale et contra eum gestas continent, aut a Polybio prorsus dissentiunt, aut talia videntur, ubi fragmenta nos deficiunt, vix ut in pragmatia locum habuisse possint. Sic apud Livium XXVI, c. 14—17 in narranda Capuae oppugnatione traditur, Fulvius consul una cum legionibus Capua relicta Hannibalem ad Romam secutus esse, quam narrationem nihil crediderim esse, nisi imitationem notissimi illius itineris Neronis contra Hasdrubalem. Liv. XXVII, c. 43, 9. Polybius autem contrarium affert: IX, 7, 7 *μένειν ἐπὶ τῆς πολιορκίας τοὺς περὶ τον Ἄππιον,* dicitque IX, 8 Consules dilectu forte sub id ipsum tempus instituto, subitarium exercitum contra Hannibalem eduxisse. — Idem quadrat in ea, quae in Liv. libro XXVII leguntur, ac maxime in ea, quae de pugna ad Metaurum narrantur, quamquam nonnullis in rebus cum Polybio videntur consentire. Sed apud Livium legimus, XXVII, 47, 9 Hasdrubalem a ducibus desertum ad pugnam coactum esse; Polybius XI 3, 1 Gallos vino repletos circa vias stratos fuisse narrat, quos Livius somno fatigatos in terram delapsos dixerat.

Sed res in Hispania et in Africa a Scipione gestae fere semper eodem modo, quo a Polybio exponuntur; nonnunquam etiam iis, quae in Italiae rebus gestis narrandis afferuntur, prorsus repugnant. Sic in rebus Scipionis tradendis nunquam dicitur, Hasdrubal sibi proposuisse in Italiam trajicere, immo post pugnam ad Baeculam factam demum videtur hoc consilium cepisse; quod in iis partibus, quae ad res Italiae pertinent, saepius legitur, XXVII, c. 6. c. 7. c. 35, 3; Romanique hoc nuntio perculsi dictatorem dicunt. Accedit, quod XXVI, 51, 3 Laelius Carthagine nova a Scipione Romam mittitur; annales autem XXVII, 7 dicunt, eum Tarracone esse profectum. Quibus praemissis ad ea capita, quae res

Hispaniae et Africae continent, quae Polybio simillima neque tamen ex eo desumpta diximus, nos convertamus.

Ac primum quidem, si narrationes rerum in his terris gestarum perlustramus, haeremus in libro XXV, c. 32—39. Etenim cum in hoc libro res in Italia gestae accuratissime explicentur, nominibus regionum, urbium, vicorum additis; mirum quantum earum rerum in Hispania sit scriptoris ignorantia. Publius igitur et Cn. Scipio ex hibernis, quae ignota sunt, proficiscuntur; c. 32, 1; alter contra Magonem, alter contra Hasdrubalem iterfacturus, quos ubi versentur ignoramus, nisi quod Magonem quinque dierum iter abesse audimus [8]). Publius autem a Poenis circumventus cum exercitu deletur paucis perfugis relictis c. 35, 15; neque dicitur, quo loco. Cneius contra ab Hispanis destistutus se recipit, neque dicitur, in quam regionem; Poeni eum persecuti circumveniunt, neque dicitur, quo loco. c. 35—36. Nunc demum c. 37, 8 audimus, Poenos Hiberum transiisse, unde apparet, quae ante narrata erant, in ulteriore Hispania gesta esse; Marcius autem, eques Romanus, parvo exercitu collecto primum Poenos a vallo coercet, tum una nocte duo castra Poenorum opprimit capitque, vix nuntio cladis relicto.

Itaque intra septem capitum spatium omnes Poeni non minus misere perierunt, quam Romani; nos autem cum ex tota descriptione, tum ex iis quae sequuntur, suspicionem capimus, res non ita gestas esse, sicut Livius narrat [9]) Haec omnia enim magno verborum splendore ornata atque arte rhetorica expolita inter pulcherrimas operis Liviani partes referuntur; atque videtur scriptor ex hac narratione, quamquam omni regionum definitione et rerum inter se nexu caret, quasi gaudium quoddam percepisse [10]).

---

8) Accedit, quod locus non ab omni graviore corruptela vacat; sic c. 32, 2 pro »Ibi« malis nomen urbis legi; poteras de »Ide« vel »Ibe« (L. XXVIII, 21, 7) cogitare; etiam Amtorgis, c. 32, 5, vel Antorges, c. 32, non potest recte habere; prorsus corrupta sunt c. 33, 2—3. Etiam ratio belligerendi c. 32, 4—6 et 32, 10 non perspicitur.

9) De difficultatibus chronologicis huius loci cfr. U. Becker, Vorarbeiten zu einer Geschichte des 2ten punischen Krieges (in Dahlmanns Forschungen II, 2); p. 113—114.

10) Non sine aliqua veritatis specie Claudium, qui Annales Acilianos

Idem fere quadrat in Liv. XXVI, c. 17; ubi C. Neronem Capua capta a patribus cum duabus legionibus in Hispaniam missum narrat, a quo Hasdrubal inclusus fraude punica dicitur evasisse. Sed ne hic quidem fons sanus atque integer nominari potest. Nomina quidem urbium Iliturgis et Mentissae in finibus Ausetanorum afferuntur, prope lapides atros, ubi Hasdrubalis erant castra, c. 17, 4; sed hoc ipsum quam maxime dubium esse, omnes editores viderunt. Ausetani enim prope Hiberum incolebant, Liv. XXI, 23, 2. XXIII, 49, 5. urbes Iliturgis vero et Mentissa in finibus Oretanorum et Turdulorum erant sitae. Liv. XXIV, 41, 8. Strabo III, 2, 1. Sin autem contra codicum autoritatem Ausetanos in Oretanos mutamus, procul ab Hibero Neronem dicimus progressum; Sed c. 20, 2 Scipio milites laudat, quod omni cis Hiberum agro hostes arcuissent; neque dicit, eos flumen esse transgressos; idemque in oratione apud milites c. 41, 25 res a Nerone et a Marcio gestas aeque ignorat. cfr. etiam Polybium; X, 6, 4: ὡς τάχιστα ἴδωσι διαβάντες X, 6, 6. X, 7, 3—4, qui copias Scipione duce primum Hiberum transiisse affert. — Accedit, quod si Nero cum tantis copiis in Hispaniam pervenerat Hiberumque transgressus Hasdrubalem ad summam inopiam redegerat, sane mirum est, primum quod c. 18, 1 nullus populus Hispanorum dicitur a Poenis defecisse, tum quod Romae ejus rei mentio omnino non fit, sed summus maeror ob interfectos Scipiones summusque metus omnes capit, ita ut imperatorem vix possint invenire[11]). Illud quoque commemorandum est, Neroni, qui usque ad c. 17 in Ca-

---

ex graeco in latinum sermonem vertit, Livii fontem esse dicas; nam ex iis annalium scriptoribus, quos c. 39, 12 39. affert, solus Claudius eadem, quae Livius videtur narrasse. — Ad veritatem proxime accedit Piso. c. 39, 15 cfr. Polybius X, 6, 2. et 7, 1 cfr. Becker, Vorarbeiten p. 109. in annotat.

11) Quae Weissenborn ad c. 18 anotavit, has difficultates omnino non removent; mihi videntur patres, cum L. Marcium, ducem turbulentum, praetorio officio nollent fungi (cfr. Liv. XXVI, 1, 9,) alium misisse, qui exercitum ab eo acciperet, C. Neronem. Cujus res gestae, non sane praeclarae, postea, cum ipse ob Hasdrubalem victum clarior factus esset, in majus auctae sunt. cfr. Liv. XXVIII, 44, 9 qui locus ad nostrum spectat.

pua oppugnanda versatus erat, vix tantum temporis suppetiisse, ut adversus Hasdrubalem eadem aestate res gerere potuisset. Sed si c. 18 et quae sequuntur, intuemur, omnia prorsus aliter se habent. Res a Marcio et a Nerone gestae non multum profecisse videntur; tres enim exercitus Carthaginiensium omnem ulteriorem provinciam obtinent; Liv. XXVI, 20, 6 novus imperator, P. Cornelius Scipio, populi suffragio creatus, in provinciam mittitur; cujus iter accuratissime describitur, c. 20, 10; atque, id quod maximum est, in fragmentis Polybianis inde ab hoc loco tantum cum Livio consensum et rerum et verborum invenimus, ut comparationem instituere, summi momenti videatur esse. Pol. X, 1—21. 34—41. Liv. XXVI, c. 18— c. 20, 6. c. 40—51. XXVII, c. 17—20.

Lachmannus igitur II, 48—49, putat, c. 20 non esse polybianum; c. 40 et quae sequuntur, omnia ad Polybium pertinere, sed ampliores etiam annales esse usurpatos. — Quod ad c. 20 recte perspexit homo doctus. Livius enim c. 18—19 Scipionem imperatorem creatum narrat, additque descriptionem morum summi viri, de quo eaedem fere fabulae, quae de Alexandro Magno afferuntur. c. 19, 7. Eadem apud Polybium leguntur, quamquam alio modo. Quae Liv. de Scipionis creatione c. 18, 6—11 dicit, prorsus desunt; narratur autem Laelio teste, quomodo aedilis factus sit, X, 4—5; qua in narratione nonnulla inveniuntur, quae Livii verbis similia sunt, cfr. Polybius X, 5, 2. Livius XXVI, 18, 7.

In Scipionis autem moribus describendis Polyb. X, 2, 12—13 dicit, eum omni superstitione liberum multitudinis animos sibi propitios reddidisse, cum se cum diis communicare consilia fingeret, quod minus recte exponit Liv. XXVI, 19, 4 (sive ipse capti quadam superstitione animi). Fabulae autem, quae apud Livium XXVI, 19, 7 leguntur, absunt a Polybio, atque omnino ab eo abesse debebant; unde per se patet, Livium ejus opere hoc loco non esse usum.

Livius deinde XXVI, 19, 10—20, 6 exponit Scipionis iter in Hispaniam atque ejus adventum. Accuratissime nominatur numerus et genus navium c. 19, 11; itineris directio, origo urbis Massiliae et Emporiorum a Phocaea, ita ut fontem optimum, eumque graecum suspiceris esse. Tum Tar-

raconem Cornelius se confert, c. 19, 12; legatos civitatum cum benigno responsu dimittit; c. 19, 14 hiberna veterum militum adit; quibus conlaudatis novisque militibus in hiberna abductis ipse Tarraconem redit. c. 20, 1—4. Afferuntur deinde hiberna trium exercitum Carthaginiensium, c. 20, 6; omniaque sub hiemem 211 gesta sunt. Paullo aliter Polybius. Iter Scipionis ad comparandum non exstat, fortasse exciderat ante X, 2; aut non tam accurate erat perscriptum. Tum vero non sub hiemem 211 Scipio in Hispaniam venit, sed initio veris 209; quare nifallor, apud Liv. XXVI, 18, 7 annos 24; apud Polyb. X, 6, 10 annos 27 natus dicitur. De legatis sociorum nihil; praetereundo tantum X, 6, 4 afferuntur. Convocat deinde in hibernis veteres milites, quibus collaudatis non Tarraconem se recipit, sed Hiberum transgreditur; parte copiarum relicta. X, 6, 7. Quae fuerint ejus consilia, quam callide de iis ceteros celaverit, exponitur X, 6, 8; duces Carthaginiensium inter se fuisse discordes traduntur, cujus rei, quamquam summi est momenti, neque c. 20 neque c. 40 apud Livium ne verbum quidem legimus. Deinde vero hiberna Carthaginiensium exponuntur, sed prosus aliter quam apud Liv. c. 20, 6. cfr. P. X, 7, 5 [12]). Livius autem talibus in rebus nunquam plura affert, quam is, quem sequebatur; unde igitur haec, si Polybium inspexerat? Itaque haec res sola, si cetera omnia non magni putamus momenti, comprobat, Livium hoc loco non usum esse opere Polybiano. Sed in hac diversitate haud ita rarus est verborum inter se consensus; velut. Liv. XXVI, 18, 7. c. 19, 4 = Pol. X, 2, 12. X, 6, 10. alia.

Interruptam rerum in Hispania gestarum narrationem Livius capite 41 denuo incipit. Quae apud Polyb. X, 7—9

---

12) Liv. XXVI, 20, 6. Hasdrubal Gisgonis usque ad Oceanum et Gades, Mago in mediterranea maxime supra Caulstonensem saltum, Hasdrubal Hamilcaris filius proximus Hibero circo Saguntum.

Polyb. X, 7, 5. *Μάγωνα μὲν ἐπυνθάνετο διατρίβειν ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν, ἐν τοῖς Κονίοις προςαγορευνομένοις, Ἀσδρούβαν δὲ τον Γέσκωνος περὶ τὸ τοῦ Ταγοῦ ποταμοῦ στόμα κατὰ τὴν Λυσιτανήν, τὸν δ' ἕτερον Ἀσδρούβαν πολιορκεῖν τινα πόλιν ἐν τοῖς Καρπησιανοῖς.*[1]

[1] cfr. U. Becker, Vorarbeiten, p. 126. annot. 7.

accuratissime de Scipionis consiliis exposita sunt, apud Liv. non sunt; qui narrat, Scipionem initio veris 210 classi atque exercitu ad os Hiberi convocato ipsum cum quinque milibus sociorum eodem contendisse, ibique ad veteres milites orationem habuisse. Haec omnia apud Polybium non leguntur, neque tamen a Livio ficta esse possunt, cum accuratissime indicet, quomodo unaquaeque res gesta sit. Quae vero apud Liv. c. 41—44 sequntur, cum in optimis codicibus desint, in posterioris aetatis manuscriptis ab homine quodam docto ad lacunam explendam videntur addita[18]).

Quod revera ita se habere, jam inde concludi potest, quod usque ad hanc lacunam Livius a Polybio nonnunquam diversus est; in hac ipsa autem lacuna deteriores codices ad verbum cum eo consentiunt. Quae imitatio tanta est, ut corrector Livii haec omnia Polybium secutus, addidisse debeat, neque intellexisse, se aut cum ipsius Livii verbis repugnantia scribere, aut inepta. Tres enim duces Carthaginiensium inter se esse discordes, quod Livium nusquam commemorasse supra vidimus, praetereundo tantum in Scipionis oratione XXVI, 41, 20 affert, neque intelligit, rem gravissimam sic confici non posse. Deinde cum apud Polyb. X, 11, 11 Scipionem orationem habuisse videret, ipse quoque c. 43 orationem inserit, non respiciens, se c. 41 demum ejusdem viri orationem scripsisse; ita ut Scipio videatur dicendi nunquam finem fecisse. Accedit, quod nonnulla in verborum ordinem recepit, quae Livius in Polybio vertendo saepissime omittere solebat; consilia Scipionis, situm Carthaginis. Hanc ipsam vero situs descriptionem brevius quidem contraxit, sed cum apud Polyb. X, 9, 8 eam in forma digressus a proposito insertam videret, ipse quoque per digressum oritur: „Ceterum sita Carthago sic est"; quam rationem, in historia conscribenda docendi a Livio esse alienissimam, quis est, qui ignoret? — Ad extremum corrector, ut de aliis rebus taceam, sub finem c. 43 rationem,

---

18) Omnes codices paullo antiquiores hanc lacunam non expleverunt. Puteaneus enim habet: »sine meo luctu quem armaverat, quum terra marique instrui etc.«; unde apparet, lacunam esse antiquissimam, et jam in eo exemplari fuisse, quod Put. sequitur.

cfr. Madvig, emendationes Livianae. p. 203. Drakenborch. ad. h. l.

qua ipsius verba cum Livio coaugmentaret, non aliam invenit, quam ut inepte ad verba codicum vetustiorum respiceret.

Dicit igitur corrector XXVI, 43, 10: „tum terra marique oppugnari eam jubet“; atque pergit ipse Livius c. 44, 1. „Cum terra marique instrui oppugnationem videret“; quae verbositas Livium minime deceret. Itaque sine dubio haec capita XXVI, 31, 18—44 ab homine docto non ita male in Livium inserta sunt, neque vero ita, ut hoc factum esse accuratius inspicienti non appareat.

Jam sequitur apud utrumque oppugnatio Carthaginis novae, quae in universum eodem modo atque interdum etiam iisdem verbis narratur, sed multa sunt apud Livium, quae Polybius non habet atque vix habere potuit.

Livius igitur XXVI, 44, 2 dicit, Romanos eruptione ab oppidanis facta parumper cessisse, duce praecipiente; Polyb. X, 12, 7 Scipionem aciem procul ab urbe direxisse; ut hostes propius ad castra alliceret; — callidius, atque ob id ipsum, ni fallor, verius, quam quae Livius habet, quia semper res est summi periculi, militibus praecipere, ut inter pugnandum cedant. — Tum XXVI, 44, 6. Livius tumulum Mercurii nominat, quem Polybius neque hoc loco, X, 13, neque in accurata Carthaginis descriptione habet X, 10. Deinde Liv. XXVI, 44, 10—11 narratur, etiam ex navibus escensio esse facta; (quod Polybius non habet), sed additur, non multum hoc conatu esse effectum, perinde quasi scriptor monere velit, nequis miretur, ejus rei apud alios mentionem non fieri! Tum XXVI, 45, 2 Livius dicit, scalas breviores et infirmiores fuisse, quam quibus in moenia escendi potuisset, dum Polyb. X, 13, 6 habet, solam altitudinem muris munimento fuisse. Liv. XXVI, 45, 6 dicitur, aqua non solum aestu esse imminuta, sed septentrione etiam, qui stagnum eodem, quo aestus, tulisset. Nihil de hac re Polybius. Quae c. 47, 1—3 de numero captivorum aliter quam Pol. X, 17, 7 allata sunt, ea non persequor, quia errore codicum tali in re facillime diversitas oriri potuit, cfr. c. 49, 1—7. Qui apparatus belli, signa, ballistae, alia, capta sint, quae c. 47, 5—6 exponuntur, apud Polybium non sunt, aut exciderunt X, 12, 6; aut, quod mihi probabilius videtur, omnino non erant perscripta,

quia annales in his rebus enumerandis multi erant; Polybius autem non magni eas aestimat. (cfr. Nissen p. 105.) Sed apud Livium XXVI, 47, numerus auri argentique capti minor est, quam Polyb. X, 19, 2; atque hoc quidem loco nulla codicum culpa. Deinde L. XXVI, 47, 8 C. Flaminius, quaestor Scipionis commemoratur, cujus Polybius mentionem nunquam facit, quamquam saepius ταμίαν vocat. Quae Liv. XXVI, 48 de donatis coronis muralibus leguntur, apud Polybium non inveniuntur, atque a pragmatia omnino abesse debebant [14], ut nulli momenti ad belli eventum. Accedit, quod haec pars nominibus centurionum, tribunorum romanorum repleta est, in quae referenda Polybius non solet curam impendere. (Nissen p. 105.) Quae in capitibus 49—51 Livii insunt, Polybius quoque narrat, sed modo brevius modo accuratius exposita, modo prorsus aliter. (L. XXVI, 49, 10—16 = P. X, 18, 7. L. c. 49, 7—10 = P. X, 15, 1—6. Liv. XXVI, 50 = P. X, 19, 3—11.) Liv. c. 51. deest apud Polybium, sed eodem modo narratum esse, ex fragmento apparet P. X, 20.

Videmus igitur, multa inesse in Livii narratione, quae Polybius non affert; quae igitur ex eo conversa non esse possunt. Quo factum est, ut Lachmann II, 48 et Weissenborn in annotat. XXVI, 44, 6—9 Livium hoc loco putent, cum Polybio alios annales composuisse. Quod eum non facere solitum esse, cum Nissenius docuerit, in aperto est, eum Polybium hoc loco non sequi. Sed cum praeter hanc diversitatem non solum inter totam narrationem, verum etiam inter singula verba summus sit consensus, apparet, utrique communem esse fontem [15]. Non ignoramus quidem, apud om-

14) Pol. X, 11, 6—8 narrat quidem ante expugnationem urbis Scipionem χρυσοῦς στεφάνους promisisse, sed inde ad nostrum locum nihil sequitur. Nam rem ipsam poterat Polybius commemorare, sed altercationem in castris romanis ortam vix putandus est naravisse.

15) Firmatur sententia nostra Nissenii verbis p. 85. qui in libro XXI—XXII aeque ac in Scipionis expeditionibus communem fontem inveniri putat. Exempla similitudinis: L. XXVI, 44, 7 = P. X, 10, 4. 26, 45, 3 = X, 18, 3. 26, 45, 9 = X, 14, 11—12. 26, 46, 7—8 = X, 15, 3 et 7; 26, 49, 11 = X, 18, 1. 26, 51, 3—5 = X, 20, 1—3 alia.

nes scriptores, qui easdem res narrant, nonnulla congruere; sed hoc nisi nonnullis occasionibus casu quodam non invenietur; sin autem per longam capitum seriem eandem similitudinem, conjunctam cum nonnullis discrepantiis invenimus, non dubitabimus, communem fontem euis rei causam dicere, quo uterque suo modo usus est.

Res anno 208 in Hispania gestas Polybius in libro X narravit, cujus narrationis integra exstant capita 30—40; Livius eadem in libro XXVII, 17—20. Quae apud Polybium largius, apud Livium brevius exposita sunt[16]), ea non afferam, quia facile aliquis dicere possit, a Livio esse omissa; neque id moneam, Livium XXVII, 17, 7 non narrare, quod Polybium X, 38, 3; Scipionem ab Hispanis esse regem appellatum[17]); sed pugnam apud Baeculam factam breviter comparabo.

Narrat igitur Polybius, duces Carthaginiensium etiamtum discordes fuisse. X, 37, 2. Quare Hasdrubalem, cum per se non satis virium ad vincendum haberet, consilium cepisse, cum exercitu in Italiam proficiscendi, atque ideo castris communitis Scipionem exspectavisse. X, 37, 4. Castra deinde accurate describuntur: X, 38, 7—8. Scipio igitur cum advenisset, per biduum quietus sedit, munitissimum locum non aggredi ausus, donec, ne ab aliis ducibus Poenorum circumveniretur, proelium commisit. X, 38, 9—10. Legionibus igitur intra monumenta retentis, omnem levem armaturam emisit, quae frontem castrorum, quae in expugnabilis videbatur, aggrederetur. X, 39, 1—3. In quam pugnam intenti cum hostes segnius copias castris educerent, Scipio ad laevam, Laelius ad dextram legionibus circumductis necopinantes, qui aciem nondum direxerant, a lateribus aggrediuntur. X, 39, 3—6. Illi autem extemplo cum Hasdrubale in fugam se dederunt, atque cum per obstantes velites non magno detrimento evasissent, Pyrenaeos petierunt. Itaque quae Hasdrubal sibi proposuerat, fere erant facta. —

---

16) Livius XXVII, 17 habet largius, quam Pol. X, 34; idem XXVII, 18 largius, quam P. X, 39.

17) Polybius similem rem bis tradit, X, 38 et 40; Livius semel XXVII, 19, 6.

Livius contra ne hic quidem addit, duces Carthaginiensium, fuisse discordes, neque consilia Hasdrubalis novisse videtur, quae tanti sunt momenti, ut sua sponte omissa esse, nemo serio contendat. Narrat deinde, exercitus iter facientes sibi obviam venisse atque cum proelio commisso equites Poenorum vincerentur, ipsum Hasdrubalem ad castra communienda coactum esse; XXVII, 18, 3—4; cujus proelii gravitas more annalium augetur. XXVII, 18, 1—3 (cfr. Nissen p. 94) Descriptio situs castrorum c. 18, 5—7 prorsus alia est, quam apud Polybium [18]). Scipio autem duas cohortes mittit, alteram, quae fauces quasdam in tergo hostium, alteram, quae viam ad urbem Baeculam ferentem insideret, neque additur, quomodo factum sit, ut Poeni hunc dolum non senserint c. 18, 10. A fronte vero levem armaturam mittit, qui impigre subeunt, quae pugna ritu annalium optime describitur. c. 18, 10 14. Atque hi procursatores hostium pellunt, dum ipse Scipio eorum aciem instructam (XXVII, 18, 16—20 c. 19, 1.) a tergo atque a lateribus invadit, magnaque strage edita pauci casu quodam, ut videtur, effugiunt. (Nissen p. 94.) Nunc demum c. 19, 1 Livius dicit, Hasdrubalem Pyrenaeos petiisse, ac XXVII, 20, 4—8 demum de Hasdrubalis consilio in Italiam proficiscendi pauca audimus. (L. XXV, 32, 3 ubi de patre et avunculo Scipionis agitur, suo jure non commemoravi).

Narratio etiam, quae L. XXVII, 11, 8—12 de Massiva Numida inseritur, apud Polybium non exstat; sed jam Livius quoque Scipionis responsum narrat, cum a barbaris rex esset appellatus. Livius XXVII, 19, 3--8. = Polyb. X, 40, 2—5.

Videmus igitur, in pugna maxime describenda narrationes dissentire [19]), atque Livium quidem nonnulla addidisse,

---

18) Qualis situs castrorum apud Livium c. 18, 5 - 6 significetur, non prorsus perspicio; videtur quasi contabulatio quaedam duarum planitierum (Terrassen) indicari. Sed ne sic quidem, quae de inferiore planitie et de equitatu ibi posito narrantur, recte habere videntur.

19) Sane miretur aliquis, quod Lachm. II. p. 49 dicit: „valde discrepat Liv. a Polybio, quamquam ipsius pugnae descriptionem (?) ab eo accepit;" sed in hac descriptione quam maxime dissentiunt.

quae apud Polybium non leguntur. Id quoque apparet, Polybium omnia fere melius exponere, quam Livium; causas, consilia, internum rerum inter se nexum raro apud Livium invenimus. Sed praeter diversitatem illam in pugna narranda [20]) saepe inter utrumque tantus est consensus, ut casu factum esse vix credamus. L. XXVII, 19, 3—6 — P. X, 40, 2—5. L. XXVII, 17, 3 sq. — P. X, 34. 35, 7 alia.

Itaque ne hic quidem errare nobis videmur, si utrique communem fuisse fontem statuimus, quem Livius fere integrum recepit, sed Polybius correxit [21]).

Idem fere reperimus in libris Liv. XXVIII et Pol. XI. Saepissime enim sibi tam similes sunt, ut magnopere doleamus, tam pauca fragmenta polybiana exstare, quae comparari possint. Nihilo tamen secius nonnullae discrepantiae inveniuntur, quae summi momenti sunt. Livius igitur XXVIII, 12, 13—14 quinquaginta quattuor peditum milia Poenos habuisse dicit, additque alios septuaginta milia scribere, id quod Polybius XI, 20, 2 facit. Quem num Livius c. 12, 14 per „quidam scribunt," significare voluerit [22]), valde dubito Deinde L. XXVIII, 13, 13 Culchas in duodetriginta oppidis regnare dicitur, quod apud Polyb. non legitur. L. c. 13, 8 etiam expeditae cohortes et munitores cum equitibus Poenorum

20) Etiam quod Livius XXVII, 17, 8 per parenthesin addit, Laelium Roma rediisse, Polybius hoc loco non narrat, sed interest Laelius proelio apud Baeculam P. X, 39, 4.

21) Non alienum videtur, jam hoc loco in memoriam revocare, similitudines illas non posse inde explicari, quod Livius scriptorem aliquem secutus sit, qui ipse aut Polybium aut fontem ejus descripserat: Est enim haec ratio vere artificiosa quaedam atque vix putandum erit, tantas similitudines esse ortas, si per ambages uterque eundem scriptorem sequebatur.

Cfr. C. Peter, in programmate Portensi 1863. p. 11. Anm. aliter judicat: Nitzsch, v. Sybels historische Zeit. 1864, et qui eum sequitur: C. Boettcher, quaestiones criticae de fontibus Livii lib. XXI—XXII. Königsberg 1867.

22) Lachmann II p. 50 et Bujack, de Sileno scriptore Hannibalis p. 29 totum librum ex Polybio descriptum dicit; unde apparet, per totum librum unum fontem esse (paucis exceptis capitibus) sive Polybium, sive alium dicis.

pugnant, quod Pol. non habet. L. c. 13, 5 Scipio ad Baeculam urbem traditur progressus esse, quae non multum ab urbe Silpia (Ἰλίπα) videtur distare; sed Polybius nihil dicit, nisi ἐγγίσας δὲ τοῖς Καρχηδονίοις et XI, 20, 9 ante quam Carthaginiensibus appropinquasset, Scipionem ad Baeculam copias contraxisse. cfr. P. XI. 20, 5. Non satis accurate igitur Livius exposuit. Pugna apud Ilipam ab utroque eodem modo describitur, sed minus bene a Livio, qui hic quoque nonnulla habet a Polybio aliena: XXVIII, 14, 6 dicit, Scipionem vesperi tesseram per castra dedisse, Polybius XI, 22, 4: ἅμα τῷ φωτί. Liv. XXVIII, 15, 1 in acie Poenorum Baliares nominat, dicitque c. 15, 3 septima demum hora concursum esse; utrumque non habet Polybius. Ad extremum auctor Livii, cum non satis putaret, mediam aciem nudatam cornubus ob id ipsum cedere, (Pol. XI, 14) addendum censuit, elephantos effrenatos in mediam aciem se contulisse, ibique stragem edidisse, L. XXVIII, 15, 5, quod Polybius non affert.

A capite 24 libri XXVIII Liviani deinde iterum exstant fragmenta Polybiana, seditionem castrorum Sucronensium referentes. Atque cum in universum tota narratio apud utrumque scriptorem fere sit eadem, Livius pauca habet, quae a Polybio discrepant; ne de iis dicam, quae a Livio omissa esse aliquis dicere possit. Primum igitur Liv. XXVIII, 24, 3 Mandonium et Indibilem Lacetanorum populares fuisse dicit, quod non errore factum esse, inde apparet, quod XXVIII, 26, 7 idem Lacetani appellantur. Sed Mandonius et Indibilis semper sunt Ilergetum reges, et apud Pol. X., 18, 7 et apud Liv. XXII, 21, 3. XXVI, 49,1. XXIX, 1, 19. Itaque haec res non e Polybio orta est, nec levitati Livii debetur, quia bis repetitur [23]. — Deinde audimus, eos Celtiberos

23) Sed populares, non reguli Lacetanorum dicuntur; Ilergetes autem ab hac seditione non fuisse alienos, apparet ex Livio XXVIII, 31, 3. 32, 4. 32, 9. 32, 11. 34, 12; conjuncti nominantur cum Lacetanis c. 34, 4. Itaque neque error Livii neque ejus fontis, quem sequebatur, notandus est; sed ambo populi conjuncti desciverunt, ac primi, ni fallor, Lacetani. Neque vero Livius XXVIII, 2, 4, 3 alium fontem usurpat, quam postea, nam semper cum Polybio consentit, qui nomina illa non

excitasse, Suessetanos, Lacetanos populasse, quos Polybius, ubi de hac re agit, non affert, P. XI, 26, 6 et omnino non saepe nominat.

Duces seditionis apud Liv. XXVIII, 24, 13, C. Albius Calenus, C. Atrius Umber nominantur; apud Polybium non exstant, fortasse exciderant, sed non sine aliqua veritatis specie contendi potest, eos in pragmatia locum omnino non habuisse. L. XXVIII, 26, 6 legimus, seditiosos milites sub occasum solis Carthaginem novam venisse, quod Pol. non habet; L. XXVIII, 26, 11 impedimenta quarta vigilia esse profecta, milites sub lucem signa movisse; sed Pol. XI, 27, *ἁμὰ τῷ φωτὶ μετὰ τῆς παρασκευῆς ἐξάγειν.* Cetera cum Polybio fere consentiunt, nisi quod ille XI, 30, 3 narrat, et Scipionem et ceteros duces juravisse, *μηδένα μηδενὶ μνησικακήσειν* quod Livius non annotavit. Ad extremum Liv. c. 38, 1 commemorat, Scipionem provinciam L. Lentulo et L. Manlio Acidino proconsulibus tradidisse, quod verum esse ex L. XXIX 2, 1. et XXIX, 13, 7 apparet, sed apud Polybium XI, 33, 7 legimus, eum provinciam *τοῖς περὶ Μάρκον Ἰούνιον* tradidisse.

Haec igitur ex utriusque scriptoris narratione de rebus in Hispania a Scipione gestis exstant, quae quidem comparari possunt. Paucitatem vero fragmentorum Polybianorum cum semper non sine dolore sentimus, tum in libro Livii XXVIII comparando, ubi summa inter scriptores intercedit congruentia[24]). Sed jam ex iis, quae comparavimus apparet, tantum consensum, qui tum maxime desinit, ubi Livius narrationi Polybianae aliquid addidisse videtur, nisi ex communi

---

habet. Quae similitudo cum utroque loco ex communi fonte orta sit, in eodem libro atque in eadem re duos fontes communes fuisse nemo contendet.

Etiam Weissenbornii dubitatio, num »Lacetani« XXVIII, 34, 8 recte habeat, altero illo loco c. 26, 7 removetur.

24) cfr. Li. XXVIII, 13, 9 = P. XI, 21, 5. L. XXVIII, 15, 6—9 = P. XI, 24. 7. L. XXVIII, 26 9—10. = P. XI, 27, 3—4. L. XXVIII, 25, 8 = P. XI, 25, 1. L. XXVIII, 26, 12—14. = P. XI, 27, 4—8. L. XXVIII, 29, 9—11 = P. XI, 30, 1—2 alia.

fonte oriri non potuisse, quem Livius totum descripsit, Polybius correxit.

Quod quo magis in aperto sit, nonnulla afferamus, quae apud Livium quidem leguntur, et cum propter paucitatem fragmentorum cum Polybio non possint conferri, tamen ab eo aliena putanda sunt, propter pragmatiae rationem historicam. Sic Liv. XXVIII, 21 narrat, a militibus Romanis ludos gladiatorios esse editos, ac fabellam de certamine Corbis et Orsuae, fratrum patruelium, inserit. Quae apud Polybium, ni fallor, aeque non legebantur, ac quae XXVI, 48; XXVI, 50; XXVII, 19 a Livio allata, a Polybio omissa sunt. — L. XXVIII, 36—38 et 46 expeditio Magonis in Baleares et in Ligures narratur; quae apud Polybium quidem sine dubio erat, sed vix tanta cum cura res vel minimas attulisse putandus est, sicut etiam P. III, 76 minores expeditiones omisit. —Etiam quae L. XXIX, 1, 19—3, 6 de rebus Hispaniae post Scipionem tradita sunt, si apud Polybium erant, certe non hoc loco, neque tam accurate perscripta erant, ne de eo dicam, quod in his capitibus multa insunt, quae a genere narrandi Polybii prorsus abhorrent. Quae in lib. XXVIII, 15, 14 — 16 apud Livium de transitione Attenis, regis Turdetanorum, narrantur, omisisse puto Polybium, sicut Aluccionem, Celtiberorum regem, a Liv. XXVI, 50 commemoratum non nominavit. Idem quadrat in Cerdubelum, qui Certulonem prodit L. XXVIII 20, 8—12.

Contemplantibus autem nobis, quidnam sit proprium narrationi Livianae et quomodo sese habeant, quae apud utrumque scriptorem communia legantur, apparet, in omnibus illis Scipionis expeditionibus narrandis nonnulla inesse, quae in unoquoque Livii libro a XXVI—XXVIII eodem modo inveniantur. Ac primum quidem quodcumque de rebus Hispaniae et Africae narratur, abundat nominibus regionum, urbium, regum, fluviorum, ita ut non modo a vulgari annalium ratione abhorreat, sed multa afferat, quae ne Polybius quidem habet. Sed si reputamus, quantum studium ille in terras peragrandas regionumque situs recognoscendos contulerit (fr. P. III, 48, 12. III, 59, 7. Plinius V 1, 1 alia), quam saepe in suae aetatis scriptores invehatur, quod ejus rei om-

nino immemores sint, (III, 36, 2. III, 47, 9. III, 59, 8. XII, 2—4) non dubitandum videtur, quin non multos fuisse putemus, qui opus accurata regionum cognitione percepta conscripserint. Neque magis annales, qui aut tempore Livii, aut ante eum scribebantur, exterarum terrarum erant periti. (cfr. Nissen 104—105) Italiae quidem accuratam cognitionem habebant, sed quae extra Italiae fines sita erant, prorsus ignorabant. Itaque cum in libris Livii XXVI—XXVIII et Polybii X—XI communem fontem invenerimus, cumque fons ille, id quod satis rarum erat, regionum aliarumque rerum sit peritissimus, statim ab initio aliquam veritatis speciem habemus, si non in unoquoque libro alium fontem, sed in omnibus eundem esse usurpatum dicimus.

Ac primum quidem fons ille rerum al hostibus gestarum accuratam habet cognitionem. In descriptione situs Carthaginis novae tumulum Mercurii nominat, quem Polybius non habet: L. XXVI, 44, 6 P. X, 10; Carthaginiensium stativa aliter indicat, quam hic (XXVII, 20, 6 = P. X, 7, 5) castra apud Baeculam aliter describit: L. XXVII, 18, 5—7 P. X, 38, 8. Deinde L. XXVIII, 2, 6—7 accurate describit, genus pugnandi Hispanorum; L. XXVIII 3, 2 urbem Orongin nominat, ejus regionem depingit addito, cives argenti metalla habuisse; L. XXVIII, 13, 3 de Culchante alia atque accuratiora quidem affert, quam Polybius; L. XXVIII, 15, 15 Attenem Turdetanorum regem commemorat, quamquam ille hoc uno loco occurrit; ib. 16, 2 Baetim flumen atque idem c. 22, 1 alio nomine Certim appellat; ib. c. 17, 5 Syphacem, Massaesulorum regem affert, atque in situ ejus regni describendo ad Hispaniae situm spectat; L. XXVIII, 20, 1 Cerdubelum Hispanum novit; ib. c. 21, 6—10 Corbis et Orsuae, fratrum patruelium, certamen de regno Ides memoriae tradit, L. XXVIII, 24, 4 Suessetanos, Lacetanos, Sedetanos distinguit; jam L. XXVI, 50 Aluccionem regulum affert, cujus nomen apud Polybium non legitur; L. XXVII, 19, 9 Massivam, puerum Numidam, Galae filium, sororis filium Massinissae commemorat, cujus Polybius mentionem omnino non facit. Idem Massiva XXVIII, 35, 8 affertur, ubi Massinissae fratris filium eum nominari, non satis causae est, cur cum Weissenbornio

in hoc libro alium fontem quam in lib. XXVI usurpatum putemus; sed Livianae levitati error, si quis est, debetur. L. XXVII, 36, 1 Senatus Carthaginiensium Magonem jubet cum exercitu in Italiam proficisci, unde apparet, fontem nostrum rationem, quae inter duces et magistratus Poenorum intercedebat, bene cognitam habuisse. ib. c. 37, 1 Cimbios, portum prope Gades nominat, suffetes Gaditanorum quaestoremque eorum commemorat, unde videmus, eum scivisse, coloniam Punicam, quae Gadibus erat, non aliter institutam fuisse, quam ipsam Carthaginem. Ad extremum L. XXVIII, 37, 4—5 Baleares Pithyusaeque non solum nominantur, sed describuntur, quantum inter se distent, affertur, qualia apud solum Polybium invenire solemus; deinde ib. c. 46 quae Mago in Liguribus gesserit, tanta nominum multitudine allata describuntur, ut omnia referre pigeat.

Itaque si autor noster, ut illa voce uti liceat, quae apud hostes gesta sint, optime scit, non minus bene, quae in castris romanis acciderint, exponit, unde certissime apparet, cum Polybius eadem fere non habeat, eum non Polybium sequi, sed sua cognitione uti. — Non solum igitur iisdem locis, quibus Polybius Silanum, Marcium, Laelium nominat, sed quaestorem quoque Scipionis L. Flaminium affert, de quo Polybius ne verbum quidem, L. XXVI, 19 cives a sociis latini nominis distinguuntur; quos Polybius nunquam discernit; Scipio, L. XXVIII, 14, 7 si quae imperat, talibus verbis facit, qualia in castris Romanis sonare solebant; L. XXVI, 48 coronae murales distribuuntur virorumque fortissimorum nomina ac certamen de iis ortum narrantur, L. XXVIII, 20 transfugae Afri in castris Romanis, et quae in urbe Astapa expugnanda fecerint, commemorantur, L. XXVIII, 24, 13. ib. 28, 8. ib. 29. 7 nomina principum seditionis in castris Sucronensibus factae habentur, alia.

Ex his igitur apparet, omnibus illis narrationibus Livianis nonnulla esse propria, quae nisi ex uno eodemque fonte dessumpta essent, satis mira viderentur. Sed accedunt alia. In unoquoque Livii libro vidimus communem esse fontem cum Polybio; quis igitur dicat, in unoquoque libro alium fontem, eumque communem usurpari? Quod si apud duos aetate

diversissimos scriptores factum esset, inter miracula et prodigia certe esset referendum; praesertim cum numerus fontium, quos uterque sequi poterat, satis parvus videatur fuisse. Tertium est, quod in posterioribus libris non ita raro loci inveniuntur, qui ad rem aliquam non magni momenti in prioribus libris vel praetereundo narratam respiciunt. Livius autem celeriter scribebat, atque adeo rerum paullo ante a se allatarum erat immemor [26]), ut non raro, aut alium fontem secutus, prorsus repugnantia adderet, aut eundem fontem retinens, nonnulla omitteret, quae addi dedebant. Itaque si Livius XXVI, 51, 2 affert, Laelium a Scipione cum navibus, Magone aliisque captivis Romam nuntium victoriae missum esse, eumque XXVII, 17, 8 praeterundo Roma rediisse narrat; haec res, collata cum cetero consensu atque cum eo, quod in L. Scipione XXVIII, 4, 4 non tam accuratus est, nos movet, ut in his duobus locis eundem fontem usurpatum esse putemus. Simili modo Liv. XXVIII, 35, 6 Massinissa Scipioni gratias agit, quod fratris filium Massivam XXVII, 19, sibi remiserat; quod Livius XXVIII, 35 non sua memoria fretus apposuit, sed in fonte suo invenit. Iliturgitanorum scelus, quod in libro XXV, ubi narrandum fuisset, non allatum est, XXVIII, 19, 2 commemoratur; ad quam rem XXVIII, 25, 6 respicitur, quamquam neque magni momenti erat, neque accurate exposita. Liv. XXVIII, 23, 6 a Gadibus perfugae venisse dicuntur, urbem cum praesidio et classi se tradituros pollicentes; ad quam rem, tribus paragraphis expositam, non modo respicitur, sed XXVIII, 30, 4 additur, „sicut ante dictum est," itaque quis neget, haec ad eundem fontem pertinere? XXVIII, 1, 2 Hasdrubal Gisgonis ad Oceanum et Gades hibernat; XXVIII, 12, 13 a Gadibus regreditur. XXVIII, 31, 7 Mandonius et Indibilis initio seditionis in Sedetanis dicuntur stativa habuisse, quibus verbis apte respicitur ad LXXVIII, 24, 4. L. XXVIII, 31, 5 commemoratur »inchoata« jam

26) Sic 28, 4, 4 L. Scipionem Romam missum esse dicit, sed omisit, ejus reditum narrare; quare mirum est, quod eum 28, 17, 1 iterum Romam profectum esse audimus. Atque haec quidem ad unum fontem pertinent solaque Liv. incuria omissa sunt.

ante de Massinissa res, quippe qui XXVIII, 16, 11 cum Silano clam congressus esset. — Sed haec hactenus, quamquam ii loci, in quibus ad priores libros respicitur, sane augeri possunt. De rebus autem magis notis, nihil dicam; sed id monendum erit, in iis narrandis Livium sibi semper constare, quod si diversos fontes sequebatur, non semper accidere solebat[27]). Itaque cum in omnibus Livii libris a XXVI—XXVIII in rebus Hispaniae narrandis verba accuratius cum Polybio congruant, quam ut casu quodam factum dicere possimus; cumque similia et dissimilia interno nexu conjuncta, quasi unum corpus efficiant, non dubitabimus, in omnibus his libris unum fontem, eumque communem cum Polybio, usurpatum dicere.

Sed sane aliquis quaerat, num fons ille, quem tam accuratam regionum Hispaniae cognitionem habere demonstravimus, atque accuratiorem quidem, quam nunc in Polybio invenimus, ipso Polybio melior sit; num Polybius omnia, quae scribit, ei debeat. Quod non ita esse, rerum gestarum ratio indicat. Autor enim noster singulas pugnas et expeditiones non semper interno nexu conjunctas recenset, consilia imperatorum non semper affert, in proeliis describendis nonnunquam addit nonnulla, quae quomodo res gesta sit, minus bene exponant. Multitudo autem nominum talis est, ut in fabellis aut in iis rebus, quae ad ipsam narrationis perspicuitatem non multum valeant, maxime inveniatur, quare non raro suo jure a Polybio videntur omissa. Hic contra in consiliis imperatorum exponendis, in nexu causarum rerumque

27) Unus locus movet difficultatem. In libro L. XXVII, 20 enim ducibus Carthaginiensium placet: Magonem ad mercenarios conducendos in Baleares trajicere; Hasdrubalem in Lusitaniam abire; Massinissam vagum agros populari; additurque: his decretis ad exsequenda, quae statuerant digressi; contra L. XXVIII, 1, 2—4 legimus. Hasdrubalem ad Oceanum penitus Gadesque concessisse; novum imperatorem Hannonem, cum Magone conjunctum, in Celtiberia versari. — Haec igitur iis, quae XXVII, 20 afferuntur, repugnant, sed non fontis nostri, sed aut ipsius Livii aut codicum culpa: in quibus nonnulla ni fallor exciderunt. Itaque L. XXVII, 20 videtur dicere Poenos ad consilia exequenda digressos esse; sed quidnam fecrint, non affertur. Quare fit, ut per totum annum 208 in Hispania nihil gestum videatur. cfr. Zonaras, IX, 8. cfr. U. Becker, Vorarbeiten p. 142—143. editorumque annotationes.

describendo: quam multus sit, quis ignorat? Accedunt alia: Polybius X, 3, 2 ad ea respicit, quae Laelius ei dixerat; P. X, 9, 3 commemorat epistolam, quam Scipio ad Philippum regem miserat; ea autem, quae his testimoniis fretus affert, Livii autor non habet. Unde apparet, Polybium non in communi illo fonte describendo acquievisse, sed ipsum testimonia eorum hominum conquisivisse, qui cum Scipione vixissent; Livii autorem vero hominem fuisse satis bonae fidei, atque diligentia regionumque cognitione egregium; sed cui non tot historiae documenta suppetebant, quot Polybio, neque tam egregia; unde fit, ut ejus narratio interdum minus perspicua et bona quam Polybii existat.

Haec igitur de fonte, quem in rebus Hispaniae narrandis apud Livium cum Polybio communem invenimus; jam nonnulla erunt addenda, de finibus, quibus hic fons circumscriptus sit.

Atque ex fragmentis quidem Polybianis haec quaestio solvi non potest, quia eo saepe momento nos destituunt, ubi ab iis destitutos esse quam maxime nos dolet. Vidimus autem, in libro L. XXVI, c. 19—20, c. 40—51; in libro L. XXVII, c. 17—20, in libro L. XXVIII, c. 1—4. c. 12; 10—38 interno nexu inter se conjuncta et Polybio simillima ad unum fontem pertinere; ad quae accedunt, quae a L. XXVIII, 46, 7 de rebus a Magone in Liguribus gestis traduntur. Sed quae XXVIII, 36—48 de rebus in urbe Roma gestis narrantur, a nostro fonte mihi videntur aliena. Jam Lachmannus II, 50 dicit: »sequuntur res domesticae ex alio scriptore sumptae« et recte quidem. Nam scriptor, quem Livius hoc loco sequitur, nimis accurate exponit, quantae difficultates Scipioni in consiliis exsequendis superandae fuerint; nimia andacia, qua Scipio usus erat, c. 42, 7 vituperatur; atque quod Hasdrubalem in Italiam pervenire passus sit, crimini datur, c. 42, 14 sq.

Haec autem in rebus Hispaniae narrandis non commemorantur, quamquam sane digna erant, quae commemorarentur. Neque magis hae altercationes in senatu in Polybio legebantur; qui ab his rebus omnino alienus est [28]). Deinde L. XXVIII, 5—9

28) Eandem sententiam professus est: H. Peter, die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Römer p. 53—56; sed errore eum Coe-

ex Polybio desumpta sunt; L. XXVIII, 9—12, 9 annales autores sequuntur.

Paucis etiam monendum erit, quae in Livii libro XXIV, 41—42 de rebus a Scipionibus in Hispania gestis narrentur, a fonte, de quo nos agimus, aliena esse — Omnia quidem abundant nominibus atque accuratam cognitionem rerum Hispaniae videntur habere. Audimus c. 41, 3 Castrum Album Hamilcaris caede notum esse, c. 41, 3 mons Victoriae affertur; Castulone c. 41, 8 Hannibalis uxorem natam esse legimus; c. 41, 4 Bigerra urbs et c. 42 Minda sive Munda, c. 42, 5 Auringis sive Aurinx commemorantur; c. 42, 8 Moeniaceptus et Vismarus, Gallorum reguli, occisi dicuntur. Sed genus narrandi prorsus aliud est, quam in iis libris, de quibus diximus[29]. c. 41, 1 variae res gestae esse dicuntur, sed tam variae narrantur, vix ut autor quae sibi velit, perspici possimus. Primum c. 41, 3 videntur Romani ad castrum Album a Poenis inclusi; deinde c. 41, 4 in monte Victoriae castra communiunt; neque dicitur, quomodo eo pervenerint, nec quid nam ibi rei gesserint. Deinde adveniunt Cn. Scipio et Hasdrubal; hic trans flumen, quod non nominatur, consedit; P. Scipio c. 41, 6 tertium in tumulo oppugnatur, sed a fratre servatur. Quomodo tot res, tam paucis verbis absolutae, inter se cohaerere possint, nemo videbit; sed jam, cum Romani in summis angustiis viderentur esse, extemplo Castulo c. 41, 7, urbs quam maxime cum Poenis conjuncta, ad Romanos deficit. Quod cur factum sit, nemo sane indagabitur. Jam vero Carthaginienses hostes et aequum campum ferre non posse videntur; sed singulas urbes aggrediuntur. Quae in his male narrata videntur, ea missa faciamus; videmus certe, res alteram post alteram narrari; recte fortasse, sed cur ita gestae sint, quae ratio belli gerendi fuerit, cur ea, quae nobis fieri non posse videantur, tamen facta

lium Livii et Polybii fontem putasse demonstravit: M. Buchholz: Quib. font. Plutarchus in vitis Fabii Max. et Marcelli usus sit Gryphs. 1865. p. 12.

29) Omnes historici, qui has res gestas explanare studuerunt, perversitatem fontis Liviani vituperant. cfr. Th. Mommsen, röm. Gesch. I, 636. Becker. Vorarbeiten p. 100.

sint, non additur. Est igitur tam exile et tenue narrandi genus, ut cum eo fonte, quem supra invenimus, nullo modo comparari possit [30]).

Itaque si ad ea respicimus, quae de rebus a P. Cornelio Scipione in Hispania gestis narrantur, profitebimur, omnia uni fonti deberi, satis bono dignoque, quem Livius sequatur. Idem vero fons a Polybio usurpatus est, unde apparet, eum non multum ab aetate belli Punici distare. — Sed haec hac tenus; jam transeamus ad alteram quaestionis a nobis institutae partem atque contemplemur narrationem rerum in Africa a Scipione gestarum.

In libro igitur XXIX, cum nullum fragmentum Polybianum exstet, quod cum Livio comparari possit, pedetentim erit progrediendum. Sed cum ea Nissenii aliorumque sententia videatur proxime ad veritatem accedere, quae Livium in solis rebus Graeciae narrandis opere Polybiano usum esse contendit, statim ab initio non verisimile videtur, in rebus Africae fontem Polybianum inveniri posse.

Ac primum quidem, quod ad c. 1, 1—18 pertinet, ad quemnam fontem ea referanda sint, dubitari possit. Sed haeremus in c. 1, 12 ubi Scipio legiones inspexisse dicitur. Antea enim L. XXVIIII, 45, 8 nihil nisi naves ei decretas esse audivimus, atque L. XXVIII, 45, 13 eum dilectum neque impetrasse, neque magnopere tetendisse. Quod invidia maxime factionis Fabianae factum esse, in aperto est; et cum Weissenbornius in annotatione ad lib. XXIX, 1, 12 demonstraverit, Cannensibus legionibus abductis, milites in Sicilia non fuisse, exceptis Scipionis voluntariis [31]) nemo sane videbit, quas nam

30) Ita fluctuant locorum nomina, ac res omni nexu ita inter se carent, ut aliquem hominem doctum mutilam Livii narrationem quoquomodo reparavisse putes. cfr. quae c. 41, 3 de Castris albis legimus. Iliturgis c. 31, 8; Bigerra c. 41, 11; Munda sive Minda c. 42. 1; Aurinx vel Auringis, Orongis etc. c. 42 5. Galli c. 42, 6—8 aut conjectura in ordinem pervenerunt, aut corrupta sunt, aut quid sibi velint non apparet.

31) Legiones autem L. XXIX, 1, 12 commemoratas non voluntarios illos esse, cum Scipione in Siciliam trajectos ex XXIX, 1, 1, ubi voluntarii ordinantur et centuriantur, et ex c. 24, 13 apparet, ubi legionibus attribuuntur. —

legiones, quae sub Marcello stipendia fecerint, Livius significet, praesertim cum L. XXVI, 28, 10 Marcelli milites dimissi sint. Itaque videtur fons ille discrepantia ab iis narrare, quae in prioribus libris perscripta erant; neque magis cum iis conveniunt, quae sequuntur. Nam ubi Scipio in Africam trajecturus legiones inspicit, L. XXIX, 12—13, solae Cannenses legiones apud eum inveniuntur; de quibus eadem fere quae hoc loco L. XXIX, 1, 12 praedicantur. Itaque fons, quem Livius hoc loco sequitur neque cum iis quae antecedunt, neque cum iis, quae sequuntur bene conjungi potest; fortasse ad eum pertinet, qui res Locrensium XXIX, 6—8 etc. narravit; nam utroque loco res Graecorum in Sicilia et Italia a Scipione ordinatae exponuntur, c. 1, 15—18; et autor rerum Locrensium, c. 22, 12 affert, Scipioni permissum esse, ut ex iis exercitibus, qui in Sicilia essent, milites eligeret, quod aeque cum nostro loco consentit, ac ab 28, 45, 13 etc. dissentit.

Quae deinde XXIX, 1, 19—3, 5 de rebellantibus Hispanis Livius habet, ad eundem fontem, quem antea in his populis usurpavit, referenda esse aliquis dicere possit; quamquam nos certum judicium non ferimus. Etenim cum Livius XXVIII, 38, 1 Scipionem ex provincia decedentem L. Lentulo et L. Manilio Acidalio proconsulibus imperium tradidisse narrasset, dum Polybius Silano datum esse dixit, recte hoc libro XXIX, 2, 1 iidem Lentulus et Manilius proconsules nominati sunt L. XXIX, 1, 25—16. Mandonius et Indibilis Ausetanos, Sedetanos alios populos excitant, atque in agro Sedetanorum conveniunt, ubi etiam L. XXVIII, 31, 7 stativa habuerant, et quem L. XXVIII, 24, 3 primum populati erant. Etiam L. XXIX, 2, 5 recte Ilergetes Indibilis populares dicuntur.

Neque vero haec ex Polybio desumpta sunt. Primum enim valde dubitandum erit, num ille tam accurate has res narraverit; quod si fecit, vix hoc loco fecisse putandus est. Tum vero ipsius pugnae descriptio minime est Polybiana. Nominantur c. 2, 8 et 10 Ser. Cornelius, tribunus militum; nominantur numeri legionum c. 2, 9—10. Deinde c. 2, 14 Indibilis cum equitatu ante prima signa se objecisse dicitur, sed in medio erat pugna pedestris c. 2, 9—11; intervalla

equitatu romano clausa erant, c. 2, 12; itaque non bene perspicitur, quomodo Indibilis ante prima signa pervenerit. — Itaque, utut de his capitibus judicamus; ex Polybio desumpta esse negamus.

Seditione Hispanorum narrata transitur ad expeditionem Laelii L. XXIX c, 3, 6—c, 4. Fons autem, quem hoc loco Livius usurpat, cum eo, quem ante in libris 26—28 inveniebamus, videtur cohaerere. Primum enim c. 3, 14—15 respicitur ad colloquium Scipionis cum Syphace; L. XXVIII, 17—18, tum ad ejusdem colloquium cum Massinissa habitum L. XXVIII, 35, tum ad Magonem, qui L. XXVIII, 36 jussus esse, cum Hannibale se conjungere, recte dicitur. Deinde L. XXIX, 4, 4 Poeni legati ad Syphacem mittunt, firmandae societatis causa, unde non sequitur, (de quo Weissenbornius dubitat) eum jam a Romanis defecisse, sed eum dubium reliquisse, utri parti se adjungeret, quod eum jam L. XXVIII, 17 fecisse, atque L. XXIX, 23 iterum facientem invenimus. Ad eandem rem spectant verba Massinissae, c. 4, 8. — Fons praeterea probe scit, Syphacem bellum gerere in finibus regni, c. 4, 8; Massinissam regno esse pulsum; c. 4, 9; et senatum Punicum conjunctum esse cum Philippo c. 4, 4. Est igitur satis bonus, quem non modo cum iis quae sequuntur, sed etiam cum iis quae antea narrata erant, conjunctum putamus. Ad eundem vero fontem pertinet c. 5. Nam Livius uno tenore in narrando pergit, respicitque ad naves XXIX, 3, 6 Carthagine ad Magonem missas. Classis igitur appellitur ad eum locum, ubi XXVIII, 46 Mago cum navibus in hiberna concesserat; non nominatur quidem urbs Savo, sed situs ejus XXIX, 5, 1 tam accurate describitur, ut de nomine dubitare vix possimus. Accedunt alia. L. XXVIII, 46, 13 Senatus M. Livium exercitum volonum ex Etruria in Galliam traducere jubet, atque legiones urbanas in ejus locum succedere; ad quam rem respiciens fons noster recte duos exercitus, alterum in Gallia, alterum in Etruria fuisse dicit. L. XXIX, 5, 3. Magistratus etiam iidem, qui L. XXVIII, 46 nominantur: Sp. Lucretius; M. Livius. Praeterea XXVIII, 46 Livius proconsul Ariminum se conferre jussus erat, quare XXIX, 5, 19 recte cum Lucretio convenit Arimini.

Itaque, quae in capitibus Liv. XXIX, 3, 6—c. 5 exposita sunt, eundem fontem habent, quem in rebus Hispaniae narrandis inveneramus, fontem rerum geographicarum bene peritum, Carthaginiensium res accurate exponentem, (cfr. subsidia, quae L. XXIX, 4, 6 Magoni mittuntur) et aeque bene res Romanas afferentem, atque in rebus vel minimis cum eo quem ante habueramus, fonte consentientem. —

Deinde L. XXIX, 6, 1 satis inepte transitus fit ad aliam rem fontemque prorsus diversum. Etenim cum Locrorum expugnatio ad ea, quae ante dicta sunt, non videretur pertinere, Livius, rationem inveniendam ratus, qua has narrationes diversissimas jungeret, tam negligenter egit, ut alium fontem incipere, jam inde concludi possit [32]). Res autem ipsa, narratio expugnationis et causa Plemminii, fontem a nostro prorsus dissentientem sapiunt.

Omnia enim accuratissime exposita sunt, ac multo accuratius quidem, quam quis pro rei gravitate exspectet; flagitia praesidii Romani, XXIX, c. 8, 6—c. 10; invidia ob has res Romae in Scipionem orta XXIX, 16, 4 multis verbis exponuntur, ac videtur fons noster ex hoc odio in Scipionem quasi gaudium quoddam cepisse. L. XXIX, 19, 3 c. 20, 1 etc. — Atque ut in universum de iis, quae in libro XXIX, 6—8 et XXIX, 16—23 narrata sunt, judicemus, nonnulla nobis invenisse videmur, quae hunc fontem graecum fuisse aut graecum aliquem autorem secutum esse indicant. Primum enim historiarum graecarum videtur peritus: XXIX, c. 8, 6 commemorat, Pyrrhum propter spoliatum Proserpinae Locrensis templum periisse, quod in declamationibus Graecorum usitatum erat, quod XXIX, 18, 2—6 repetitur. Deinde XXIX, 18, 16 ff. res nonnullae a Locrensibus in bello cum Crotoniatis gestae et miraculum quoddam afferuntur, quae nisi ex graeco fonte in Livium pervenisse non putanda erunt. Deinde XXIX, 9, 8 Scipio dicitur „*hexere*" a Messana Locros advectus esse; quam vocem graecam Livium in fonte suo invenisse puto; etiam vox thensauri saepius repetita XXIX, 8,

32) Lachmannus quoque senserat, a libro XXIX, c. 6 alium fontem incipere, nam II, 50 inde maxime Polybium usurpari dixit.

10. c. 18, 4. c. 18, 8. c. 18, 17. etc; gymnasium et palaestra c. 19, 12 eodem pertinent. — Sed ea quoque, quae in senatu acta sunt, rogationes singulae, ipsorum rogantium verbis allatis referuntur; c. 19, 4—10; c. 20, 4—9. Q. Fabius Maximus recte princeps ejus factionis apparet, quae Scipioni semper oppetebat, Marcellus quoque recte ab altera parte stat. Illud quoque moneri possit, verba rogationis omnia certis illis formulis expressa esse, quibus Romani in jure dicendo utebantur; sed hoc aliquis Livii cura factum dicat, quamquam tam accurate egisse vix putandus erit.

Itaque, ne de aliis rebus dicamus, hoc loco aut fons reperitur graecus, qui rerum Romanarum fuit peritissimus, aut quod mihi ad veritatem proxime videtur accedere, Romanus, qui graecos autores sequebatur [33])

Neque vero Polybium hoc loco sequitur Livius [34]) Primum enim Polybius rogationes, senatus consulta, praetoris edicta, non tam accurate exposuisset, ut res a pragmatia nimis alienas; tum vero tota narratio talis est, ut Scipioni non semper videatur favere, (de qua re infra dicemus) quod Polybium semper fecisse scimus. —

Deinde L. XXIX, c. 10 interrupta de Pleminio narratione ad res Romanas se convertit. In quibus narrandis eum annalibus esse usum, cum per se verisimile est, tum intelligitur ex ipsis rebus, quae afferuntur. Primum enim XXIX, c. 10 senatus de exercitu Licinii litteris certior fit, qua ratione annalium scriptores senatum omnium rerum procul ab urbe gestarum quasi cardinem fingere solebant. (cfr. Nissen p. 91, 94.) Tum, quae de Matre Idaea Romam advehenda c. 10, 4—6, de legatione in Asiam c. 11, 1—9; de oraculo Apollinis Delphici, c. 10, 6—8; de comitiis habendis c. 11,

33) Optime nobiscum consentit H. Peter: die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der R. p. 55—56.

34) Non recte Lachmann II. p. 50 inde quod Polybius in libro XII de Locrensibus ampliora dixisse videtur, concludit, eum Livii esse fontem. Polybius enim, Lorensibus aeque ac Scipionibus conjunctus, XII, 1, 1 totam rem, ex qua sine dubio summum odium in Scipionem ortum erat, videtur mitiore animo narrasse hominesque incitatos consiliare studuisse; quod fons noster certe non facit. —

9—11; de ludis faciendis c. 11, 11—14 permixta c. 10—12 afferuntur, nisi ex annalibus desumpta esse non possunt.

In libro XXIX, c. 12 Polybium sine dubio sequitur Liv.; c. 12, 1 enim dicit: „neglectae *eo biennio* res in Graecia erant;“ in quibus verbis homines docti haeserunt, quia Livium res anno 207 in Graecia gestas XXVIII, 5 sq. viderent narravisse atque inter illas res et eas, quae jam afferuntur, biennium intercedere negarent. Sed Polybius, ni fallor, res XXVIII, 5 a Livio narratas in annum 208 contulerat; Livius eum secutus in annis computandis paullum erravit. Sed cum Polybius res duobis annis gestas semper in unum contrahere soleat, haec ipsa commemoratio *biennii* ad eum pertinere videtur. Etiam cura, quam Liv. c. 12, 3 in civitates Graecas vel minimas enumerandas contulit, alia, Polybium fontem indicant, ne de eo dicam, quod in rebus Graecis Polybius semper usurpatur.

Quae deinde L. XXIX, 13—16, 6 de provinciis distributis c. 13, de prodigiis c. 14, 1—4. de Matre Idaea c. 14, 4—14; de punitis coloniis c. 15, de reddendis pecuniis mutuis c. 16, 1—4 afferuntur, annalibus debentur.

Tandem c. 23 Livius redit ad Scipionis bellum, atque in capp. quidem 23—24 eodem fonte utitur, quo in l. XXIX, 3—5. Omnia enim quae jam narrantur, cum iis de quibus tum agebatur rebus consentiunt atque ad eas respiciunt. Syphax igitur L. XXIX, 23, 2 dubiae fidei est, sicut L. XXIX, 3, 14; ad conventum Scipionis et Hasdrubalis in hospitio Syphacis, de quo XXVIII, 17 dictum erat, respicitur, XXIX, 23, 3, addito, „jam ante“ narratum esse, ibi forte eodem tempore ex Hispania Scipionem et Hasdrubalem convenisse; XXIX, 28, 6 Hasdrubali recte in mentem venit, etiam Scipioni esse foedus cum Syphace, quod XXVIII, 18, 12 uno fere verbo commemoratum erat; XXIX, 23, 8 iterum mentio fit, Scipionem in Syphacis hospitio cum Hasdrubale congressum esse. Deinde XXIX, 24, 5 colloquium Massinissae cum Laelio commemoratur, quid Massinissa a Scipione postulaverit, de qua re XXIX, 4, 8 iisdem fere verbis actum est. Itaque haec duo capita et exteriore nexu et interiore cum inter se, tum cum eo fonte, quem in prioribus Scipionis ex-

10. c. 18, 4. c. 18, 8. c. 18, 17. etc; gymnasium et palaestra c. 19, 12 eodem pertinent. — Sed ea quoque, quae in senatu acta sunt, rogationes singulae, ipsorum rogantium verbis allatis referuntur; c. 19, 4—10; c. 20, 4—9. Q. Fabius Maximus recte princeps ejus factionis apparet, quae Scipioni semper oppetebat, Marcellus quoque recte ab altera parte stat. Illud quoque moneri possit, verba rogationis omnia certis illis formulis expressa esse, quibus Romani in jure dicendo utebantur; sed hoc aliquis Livii cura factum dicat, quamquam tam accurate egisse vix putandus erit.

Itaque, ne de aliis rebus dicamus, hoc loco aut fons reperitur graecus, qui rerum Romanarum fuit peritissimus, aut quod mihi ad veritatem proxime videtur accedere, Romanus, qui graecos autores sequebatur [33])

Neque vero Polybium hoc loco sequitur Livius [34]) Primum enim Polybius rogationes, senatus consulta, praetoris edicta, non tam accurate exposuisset, ut res a pragmatia nimis alienas; tum vero tota narratio talis est, ut Scipioni non semper videatur favere, (de qua re infra dicemus) quod Polybium semper fecisse scimus. —

Deinde L. XXIX, c. 10 interrupta de Pleminio narratione ad res Romanas se convertit. In quibus narrandis eum annalibus esse usum, cum per se verisimile est, tum intelligitur ex ipsis rebus, quae afferuntur. Primum enim XXIX, c. 10 senatus de exercitu Licinii litteris certior fit, qua ratione annalium scriptores senatum omnium rerum procul ab urbe gestarum quasi cardinem fingere solebant. (cfr. Nissen p. 91, 94.) Tum, quae de Matre Idaea Romam advehenda c. 10, 4—6, de legatione in Asiam c. 11, 1—9; de oraculo Apollinis Delphici, c. 10, 6—8; de comitiis habendis c. 11,

33) Optime nobiscum consentit H. Peter: die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der R. p. 55—56.

34) Non recte Lachmann II. p. 50 inde quod Polybius in libro XII de Locrensibus ampliora dixisse videtur, concludit, eum Livii esse fontem. Polybius enim, Lorensibus aeque ac Scipionibus conjunctus, XII, 1, 1 totam rem, ex qua sine dubio summum odium in Scipionem ortum erat, videtur mitiore animo narrasse hominesque incitatos consiliare studuisse; quod fons noster certe non facit. —

9—11; de ludis faciendis c. 11, 11—14 permixta c. 10—12 afferuntur, nisi ex annalibus desumpta esse non possunt.

In libro XXIX, c. 12 Polybium sine dubio sequitur Liv.; c. 12, 1 enim dicit: „neglectae *eo biennio* res in Graecia erant;" in quibus verbis homines docti haeserunt, quia Livium res anno 207 in Graecia gestas XXVIII, 5 sq. viderent narravisse atque inter illas res et eas, quae jam afferuntur, biennium intercedere negarent. Sed Polybius, ni fallor, res XXVIII, 5 a Livio narratas in annum 208 contulerat; Livius eum secutus in annis computandis paullum erravit. Sed cum Polybius res duobis annis gestas semper in unum contrahere soleat, haec ipsa commemoratio *biennii* ad eum pertinere videtur. Etiam cura, quam Liv. c. 12, 3 in civitates Graecas vel minimas enumerandas contulit, alia, Polybium fontem indicant, ne de eo dicam, quod in rebus Graecis Polybius semper usurpatur.

Quae deinde L. XXIX, 13—16, 6 de provinciis distributis c. 13, de prodigiis c. 14, 1—4. de Matre Idaea c. 14, 4—14; de punitis coloniis c. 15, de reddendis pecuniis mutuis c. 16, 1—4 afferuntur, annalibus debentur.

Tandem c. 23 Livius redit ad Scipionis bellum, atque in capp. quidem 23—24 eodem fonte utitur, quo in l. XXIX, 3—5. Omnia enim quae jam narrantur, cum iis de quibus tum agebatur rebus consentiunt atque ad eas respiciunt. Syphax igitur L. XXIX, 23, 2 dubiae fidei est, sicut L. XXIX, 3, 14; ad conventum Scipionis et Hasdrubalis in hospitio Syphacis, de quo XXVIII, 17 dictum erat, respicitur, XXIX, 23, 3, addito, „jam ante" narratum esse, ibi forte eodem tempore ex Hispania Scipionem et Hasdrubalem convenisse; XXIX, 28, 6 Hasdrubali recte in mentem venit, etiam Scipioni esse foedus cum Syphace, quod XXVIII, 18, 12 uno fere verbo commemoratum erat; XXIX, 23, 8 iterum mentio fit, Scipionem in Syphacis hospitio cum Hasdrubale congressum esse. Deinde XXIX, 24, 5 colloquium Massinissae cum Laelio commemoratur, quid Massinissa a Scipione postulaverit, de qua re XXIX, 4, 8 iisdem fere verbis actum est. Itaque haec duo capita et exteriore nexu et interiore cum inter se, tum cum eo fonte, quem in prioribus Scipionis ex-

peditionibus invenimus, cohaerent. Accedit aliud: et res Carthaginiensium accurate autori cognitae sunt, XXIX, 23, 4 praesertim; et Scipionis calliditatem bene eodemque consilio exponit, quo in seditione castrorum Sucronensium L. XXIX, 24, 2—7. Polybium autem non esse fontem cum rerum nexus per se indicat, tum quae c. 24, 11—14 de legendis militibus ex legionibus Cannensibus, quinta et sexta, de sociis Latini nominis c. 24, 14 afferuntur; qualia apud Polybium non solent legi. —

Allatis nonnullorum annalium discrepantiis L. XXIX, 25, 1—4; sequitur descriptio transitus in Africam. Atque hac quidem in re Livius fontem usurpat, diversum ab eo, quem c. 23—24 inspexerat. Qui ubi incipiat, fortasse dubitari possit, quia c. 25 sane aliquis ad priorem fontem pertinere dicat. Sed mihi ne c. 25 quidem cum eo videtur cohaerere, cum propter alias rationes, tum quia annalium discrepantiis additis, Livius ipse quasi novam partem oriri indicat. Deinde vero c. 25, 10 dicitur M. Porcius Cato[35]) quaestor Scipionis fuisse; in iis autem, quae sequuntur, nunquam Cato affertur, sed legimus L. XXX, 33, 2 Laelium quaestorem factum esse atque extra ordinem quidem, quod optime cum eo convenit, quod Plutarchus Cato c, 3, 8 habet, M. Porcium a Sicilia Romam rediisse, neque cum Scipione in Africam esse profectum. Fons contra capitis 25 Liv. Catonem in Africam transgredientem facit; 25, 10. Dici autem debet, Livium, si in fonte, quem in Scipionis expeditione narranda secutus est, legisset, Catonem ex Africa, non ex Sicilia iratum Romam rediisse, hoc propter magnitudinem viri non fuisse omissurum. Itaque videtur sane fons capitis 25 sq. a Plutarcho dissentire, fons eorum, quae sequuntur, consentire.

Tum vero c. 25, 12 legimus, Scipionem imperasse, ut naves Emporia tenderent. c. 27, 13 autem apud promontorium Pulchrum in terram escenditur; neque omnino additur, quem in portum, neque cur non Emporia pervenerint, quod

35) Cfr. H. Peter, in quaestione de vita Plutarchi Catonis p. 89—93.

nisi ex tota narratione c. 27 aliquo modo colligi posset, prorsus ignoraremus. Sed talia tanta incuria narrare, non erat ejus fontis, quem in ceteris locis inveniebamus. Ut vero de his dubitetur, narrandi genus multo explanatius est, quam pro rei gravitate. Magni quidem momenti erat, Scipionem in Africam trajicere, sed hic trajectus tantum auctus est, ut in eo ipso, non in rebus postea gestis discrimen versari videatur. Omnia igitur poetica quadam ratione depinguntur: videmus discursantes circa naves milites; XXIX, 25, 5—10; videmus lumina in navibus, in praetoria nave tria, in onerariis binae; in rostratis singulae. c. 25, 11; ante oculos nobis ponuntur omnes expeditiones, quae unquam in Africam factae sint; c. 26, 1—6; videmus cives militesque in portum ad spectaculum concurrentes; c. 26, 7—8; videmus Scipionem in praetoria navi per praeconem silentium facientem c. 27, 1; audimus precantem, ritu latino verbisque priscis. c. 27, 2—4; videmus naves e conspectu auferri, 27, 5—6; videmus omnia ter nebulis tecta, ter caligine discussa tandem terra conspicitur. 27, 6—12. Poema igitur nobis videmur legere, non Livium. Accedit dicendi genus; Scipio non solum antiquis precandi formulis utitur, quas Livius in fonte suo sine dubio invenit; sed colloquitur Scipio cum gubernatore; 27, 8. 12; ipse totius descriptionis quasi cardo est. Quid quod ipsa verba nulla fere mutatione facta, versuum numerum referre videntur? Nam si quis vel obiter carmen illud solemnis precationis XXIX, 27, 2—4 perlegat, statim haerebit in crebro alliterationis, quae dicitur, usu; sicut: *divi divaeque, gesta sunt geruntur; populo plebique, bene, bonis auctibus auxitis, victis victores*, alia; atque eo magis quidem, quod hac ratione duo fere verba ad eandem rem significandam conjungi videbit; quod priscae latinitatis proprium fuisse apparet, in carminibus maxime [36]).

---

36) Satis est, in memoriam revocasse Marcii vatis carmina, ac Naevii nonnullos locos cfr. Naevius ed. Vahlen VI, 1 contemptim — conterit; frg. incert. II: donum decorumque ditemque; ibid III. sudantes — sedentes; alia.

Accedit, quod nonnulla verba primo statim obtutu atque nulla mutatione facta antiquissimi versus Saturnii numerum prae se ferunt [37]); sicut posteriorem partem:

gésta súnt gerúntur; ímperium aúspiciúmque

et priorem:

terrá mari ámnibúsque;

secúntur béne verrúncent; alia.

Quae cum ita sint, sane aliquis dicere possit, his verbis inclusum teneri antiquius aliquod carmen, numeris Saturniis conscriptum; praesertim cum jam Düntzerus hunc locum inter eos retulerit, qui a quaestione de versu Saturnio non videantur alieni [38]). — Sed in universum putant, totum locum ex Ennii annalibus descriptum esse; in quam sententiam facile inducimur, fragmentis libri IX annalium Ennianorum cum Livio comparatis. cfr. Vahlen, poeseos Ennianae reliquiae. praef. p. LXVII, cfr. Enn. lib. IX. frg. V. = Liv. XXIX, 27, 13. ib. frg. VI. *Africa terribili tremit horrida terra tumultu.* = Liv. XXIX, 28, 2: *Cum tumultu egredientium in terram terror pavorque pervenerat.* Etiam Ennii libr. IX, frg. 47 (Vahlen p. 49) *Lychnorum lumina bis sex* ad L. XXIX, 25, 11 et ad lumina illa in navibus Scipionis referendum videtur.

Nos vero neque de Ennio, Livii fonte, neque de versibus certum judicium ferimus, quia versus Saturnii ita sunt comparati, ut si quo loco nonnullis mutationibus factis restitui possunt, tamen revera esse non jam debeant [39]), et quia

37) Quae in utramque partem de versu Saturnio disputata sunt cfr. Streuber de inscriptionibus, quae ad numerum saturnium referuntur. Turici. 1845. H. Düntzer, das Wort carmen als Spruch Formel, Lehre in Mützell's Zeit. f. Gymn. 1857. p. 1. sq. O. Ribbeck, annales philolog. 1858. p. 201 sq. H. Düntzer Zeit. f. Gymnas. 1858. p. 526 sq. Ritschl, poesis Saturniae spicilegium I. zum 15. October 1854. alia.

38) Düntzerus l. l. 1857 p. 11 contulit: Liv. I, 18. II, 10. IV, 19. V, 21. VII, 26. IX, 5. X, 19. XXIV, 38. XXIX, 27. XXXI, 5. —

39) Versus aliquo modo sic restitui possunt:

(O)dívi díváeque — (quí) mariá terrásque
Colitís (coelúmque urbésque) — vós precór quaesóque,
Uti quae ín meó império — gésta súnt gerúntur
Ea mihi popló plebíque — Rómánae sóciis

tota res quam debilis sit, Düntzerus nuperrime demonstrare studuit. (cfr. Philologus. XXVIII, p. 230 ff.) Satis sit dixisse, hunc locum poetica quadam ratione esse conscriptum, quae unde orta sit, parum constet.

Sed jam erit indicandum, usque ad quem locum hic fons usurpatus sit. Atque nobis quidem non sola ipsius trajectus descriptio, sed escensio quoque in terram L. XXIX, 28, 1—10 ad eum pertinere videtur. Etenim cum Carthaginienses jam ante hiemem copias parassent, L. XXIX, 4, 1—7, cumque L. XXIX 23, 1 turres et speculatores circa oram disposuissent, mirum esse debebat, quod L. XXIX, 28, 1—10 tanto terrore perculsi viderentur. Speculatoribus enim dispositis Scipio sine proelio in terram non videtur egredi potuisse, quod non factum esse non minus miramur, quam quod XXIX, 28, 9 Poeni intra muros se recipiunt portasque claudunt [40]. — Sed si pergimus in legendo iterum haeremus in c. 28, 10. Etenim cum narratum esset, Romanos in terram egressos esse omnes; XXIX, 27, 13; atque in proximis tumulis castra communivisse: XXIX, 28, 1; Poenos autem *conspectu exercitus* territos L. XXIX,

---

Et nómini latíno — quí popli Románi
Et quí meám séctam — ímperium aúspiciúmque
Terrá mari ámnibúsque — (ármís equísque)
Secúntur béne verrúncent — eáque vós ómnia
Bene júvétís bonis — áuxítis aúctibus
Salvós incólomésque — víctis pérduéllibus
Victórés decorátos — spóliís praéda onústos
Triumphántes mécum dómos — réducés sistátis.
Inimícorum hóstiúmque — cópiam ulcíscendórum
Faxítis quaéque póplus — Cárthácíniénsis
In cívitátem nóstram — fácere est molítus ea út mihi
Poplóque in cívitátem — Cárthácíniénsium
Exémpla edéndi détis — (vím) facúltatémque. —

40) Ennius in hoc ipso terrore Poenorum describendo cum Livio videtur consentire, cfr. Vahlen, Enn. p. praef. p. LXVII; unde apparet, hanc narrationem apud eos maxime inveniri, qui gloriam populi Romani potius quam veritatem spectabant. —

28, 2 portisque clausis impetum exspectasse, — quis non miretur, XXIX, 28, 10 quod earum rerum nihil factum videtur? Nesciunt Poeni Romanos jam egressos esse atque in egredientes speculatum mittunt equites[41]), satis intrepide; et nunc demum c. 28, 11 audimus, Scipionem haud procul ab Utica escendisse; iterumque dicitur proximos tumulos cepisse cfr. 28, 11 = 28, 1. Itaque haec sibi aliquo modo repugnant, atque ad unum fontem referri vix possunt. Accedit, quod jam oratio placida nulloque poetico colore tincta procedit; unde jam per se indicatur, fontem capitum 25—28, 10 non amplius usurpari. Quare, si recte judicamus, a cap. 28, 10 alius fons nobis videtur incipere, quem eundem putamus esse, quo Livius in rebus Hispaniae usus erat.

In iis autem, quae sequuntur, primum erit dicendum de digressu, quo Livius XXIX, 29, 6—33 res Massinissae tractat. Quae pars cum nominum multitudine abundet, rerumque accuratissima cognitione insignis sit, cumque per: *παρέκβασιν* adjecta sit, dubitari potest, utrum ex eodem fonte, ex quo ea, quae antecedunt, et quae sequuntur, desumpta sit, necne. Atque cum in universum moris esset, ut omnia quae a Livio bene narrata erant, ad Polybium referrent, hunc quoque excursum ex Polybio desumptum esse dixerunt, praesertim cum Pol, IX, 25 ipse Massinissa teste nitatur, excursus autem talia afferat, quae nisi qui ex Massinissa ipso audierat, vix poterat scire; quod in Polybium optime quadrare putabant.

Sed tamen nonnulla impediunt, quominus haec mihi persuadeam. Primum enim videmus, Polybium nisi in rebus Graecorum narrandis a Livio non usurpatum esse; quod cur hoc loco aliter se habere putemus, nulla prorsus causa est. Nihil enim invenitur, quod ex graeco fonte verba conversa esse demonstret; nullae voces aut sententiae graecae, aut ex graeco sermone conversae, quales supra L. XXIX, 6—9, 16—

---

41) Mille equites fuisse dicuntur; L. XXIX, 28, 10; numerus in egredientes haud sane contemnendus, in egressos nulli prorsus pretii.

22 invenimus et in partibus Polybianis nunquam solent deesse. Tum vero quaeritur, num Polybius haec omnia exposuerit, aut tam late exposuerit, atque, ut hoc concedamus, num hoc ipso loco fecerit. Nam si alio loco exposita erant, sane non veri simile est, Livium aut priores aut posteriores libros ad haec capita describenda inspexisse; nihil enim vertere solebat, nisi quod in promptu erat.

Itaque ex Polybio digressus ille non videtur desumptus; neque vero magis constat, ex quonam alio fonte. Dici tamen potest, excursum a capite 29 separandum non esse, quia inde initium capiat, quod Massinissa ad Scipionem pervenerit, atque rebus a Massinissa gestis enarratis explicet, (c. 33) quomam modo tum maxime ad Romanos transire potuerit. Et initium igitur et finis cum cetera narratione conjuncta videntur.

Reputantibus autem, qnam raro Livius in narrando digressum a proposito usurpet, magis etiam persuasum erit, ab eo excursum illum in fonte suo hoc ipso loco esse inventum. Accedit, quod neque antea neque postea affertur, id quod Appianus narrat, Libyca. c. X, Massinissam ante Cirtam urbem captam amore cum Sophoniba conjunctum fuisse et propter puellam sibi ereptam Carthaginiensibus et Syphaci infensum factum esse. Etiam excursus Liv. XXIX, 29, 6—33 talia non habet, sed in his quoque rebus semper cum cetera narratione consentit. Quod autem in his capitibus 29—33 nonnulla inveniuntur, quae nisi qui cum Massinissa congressus erat, vix poterat scire, nullo modo sententiae nostrae obstat; nam etiam quae L, XXX, 11—15 exposita sunt, accuratissimam cognitionem prae se ferunt. Itaque, quamquam non prorsus certum judicium audemus ferre, tamen non multum a veritate nobis videmur aberrare, si c. XXIX, 29, 6—33 ad eundem fontem, ad quem omnes narrationes rerum in Africa et Hispania a Scipione gestarum pertinere dicimus.

Quam arcte autem Liv. XXIX, c. 34—36 cum XXIX, 29, cohaereat, cum per se patet, tum etiam apparet ex XXIX, 33, 3, ubi respicitur ad Scipionis castra ad Uticam, quae ab eo mota esse narrantur. Atque cum haec inter se cohaereant, ex hoc ipso loco magis etiam demonstrari potest, quae

XXIX, 28 de terrore Poenorum narrata sunt, a nostro fonte esse aliena. Nam L. XXIX, 28, 7 dictum erat, nullum validum ducem domi apud Poenos fuisse, quia Hasdrubal Scipioni inferior esset; jam vero L. XXIX, 34, 2 idem Hasdrubal a patria abesse narratur; quod si L. XXIX, 28, revera periculum in mora erat, omitti non debebat. — Etiam L. XXIX, 35, 1 classis, quae cum commeatu in Siciliam missa erat, L. XXIX, 29, 3 rediisse dicitur; quo nuntio uterque locus videtur conjunctus esse. Sed haec leviora. Finitur certe narratio rerum eo anno in Africa gestarum atque cum ea fons noster L. XXIX, 35, 15 quod verbis: »haec in Africa usque ad extremum autumni gesta,« optime indicatur. Quae deinde usque ad finem libri XXIX de rebus in Italia gestis narrata sunt, ex annalibus orta esse apparet.

Habemus igitur in libro XXIX ex uno fonte desumpta: c. 3, 6—c. 5; c. 23—24; c. 28, 10—c. 29, 6; c. 29, 6—c. 33; c. 34—35; quae cum inter se, tum cum rebus in Hispania a Scipione gestis, quae in libris XXVI—XXVIII leguntur, cohaerere videntur. —

Initium libri XXX Liviani ex annalibus desumptum est, usque ad c. 3, ubi ad res Africae eodem fere modo transitur, quo L. XXIX, 3, 6.

Atque cum inde ab hoc loco fragmenta Polybiana XIV—XV. ad comparandum exstent, in his libris eandem rationem inter autores nostros intercedere videmus, quam in libris Livii: XXVI—XXVIII, et Polybii X—XI; saepe enim sibi tam similes sunt, vix ut Livium a Polybio descripsisse negemus, sed in his ipsis locis non ita pauca apud Livium leguntur, quae Polybius non narrat. Atque primum quidem, quae Liv. XXX, c. 4, 8 de condicionibus iniquis a Syphace additis habet, non affert Polybius; Livius XXX, 7, 5 suffetes Carthaginiensium commemorat; XXX, 7, 7 Hasdrubalem factionemque Barcinam pacis mentioni se opposuisse narrat; de quibus rebus nihil Polybius; Liv. XXX, 7, 10 legati ad Syphacem missi Celtiberorum auxilia prope urbem Obbam inveniunt; si Polybio, XIV, 7, 4 credis, ipse Syphax iis obviam venit. Liv. XXX, 7, 11—13, quae Syphax cum legatis egerit, apud Polybium non leguntur, qui contra Celti-

heros gloriantes seseque extollentes facit. Liv. XXX 9, 1, Syphax et Hasdrubal conjuncti in fugam se dare videntur, dum Polybius XIV, 8, 14 dicit, Syphacem εἰς θετταλίαν, Hasdrubalem Carthaginem se contulisse; itaque apud Liv. XXX, 9, 1 Laelius ad ambos persequendos mittitur, dum revera Pol. XIV, 9, 2 solum Syphacem sequitur. Liv. XXX, c. 9, 9. tradit, postero die naves a Carthaginiensibus deductas esse, dum Pol. XIV, 10, 1 εὐθέως ἐκ συνεδρίου hoc factum esse dicit.

Inde a capite 10 libri XXX Liv. destituimur fragmentis Polybianis, sed id valde erit dubitandum, num Polybius amorem mortemque Sophonibae tam accurate exposuerit, quam Livius XXX, 12—15; certe non tanta arte rhetorica omnia expolivit, quippe qui ne in summorum quidem virorum vita domestica morteque multus sit. Etiam, quae Livius XXX, 15 de donatione militum et Masainissae narrat, aeque a Polybio aliena fuisse putanda sunt, quam quae XXVI, 48 Livius affert. — Deinde vero XXX, c. 17 ad eundem fontem pertinere videtur, ex quo Livius ceteras res a Scipione gestas desumpsit, quae, si apud Polybium legebantur, paullo aliter certe narrata erant; supplicatio in quadriduum, c. 17, 3; salutatio deorum c. 17, 6; legatio Massinissae, munera quae regi dantur c. 17, 12, et dona legatorum 17, 14 in pragmatia fere locum non habebant (cfr. Nissen p. 91); atque ipsa verba »aedes liberae, loca lautia legatis decreta« c. 17, 14 fontem latinum indicant.

Interrupta rerum Africanarum narratione XXX, 18 alius fons usurpatur. Supra Liv. XXIX, 5 res a Magone gestas optime exponi videramus; sed jam sequitur descriptio proelii, quo Mago victus est, prorsus obscura, quae omni modo ex annalium scriptoribus repetita esse debet. De ratione, qua annalistae pugnas referre solent, cfr. Nissen 93—94; quae Liv. XXX, 18, 8—9; et ib. 14—15 de numeris legionum, de tribunis militum M. Cosconio, M. Helvio, M. Maevio interfectis legimus, nisi ex annalibus vix poterant originem ducere. Etiam L. XXX, c. 19—c. 21, 11 eo pertinent, de quibus omnia singillatim recensere, longum est; sed dubitari possit de XXX, c. 21, 11—c. 23. Sed haec quoque ex an-

nalibus orta sunt. Nam Liv. XXX, 17, 2 fons noster bonus dixit, decretum esse, ut Laelius Romae retineretur, dum Carthaginiensium legati venirent, unde apparet, eos jam esse exspectatos; contra XXX, 21, 11 Laelio dimisso legati Carthaginiensium ex improviso, ut videtur, adveniunt; Laelius autem ex itinere revocatur. Deinde XXX, 22, 1 legimus, legatos eandem fere orationem, quam apud Scipionem habuisse; quae si quis per se contemplatur, necessario credet, eosdem legatos significari, qui ad Scipionem L. XXX, 16, 2 missi erant; sed alios esse apparet ex XXX, 22, 5, ubi omnes juvenes fuisse dicuntur. Ad Scipionem vero sanctissimum Carthaginiensium consilium venerat, id est senes L. XXX, 16, 3. Editores quidem Livium defendere student; sed hanc dictionem saltem ambiguam esse apparet, neque Livius prorsus a suspicione liberari potest, sibi repugnatia narravisse. Sed etiam ipsum narrandi genus indicat, haec capita alii fonti deberi, quam qui in rebus Africae usurpatur; atque etiam XXX, 24, 1—4 ad annales pertinere. —

Deinde vero XXX, 24, 5 Livius redit ad fontem XXX, 17 desertam. Ac Polybius quidem, qui de summa rerum cum Livio consentit, affert, legatos a Scipione Carthaginem missos coram senatu et apud populum verba fecisse, nimiaque libertate utrosque irritavisse. Senatus igitur iratus eos interimere vult, ac dum per speciem navibus domum prosequitur, clam Hasdrubali praecipit, ut eos aggrederetur, quod ille nonnullis triremibus missis prope flumen Macran facit. Omnes fere Romani intereunt; ipsi legati servantur. — Paulo aliter Livius, qui dicit: Legatos, qui omnino orationem non habuerunt, propter populi furorem a senatu petiisse, ut navibus se prosequerentur. Quo facto cum ad flumen Bagradam pervenissent, ab Hasdrubale tribus quinqueremibus impetus in eos fit; addito, dubium esse, utrum Hasdrubal injussu senatus fecerit, necne. Omnes autem incolumes evadunt, navis tantum jactura facta. Liv. XXX, 25, 1—10. Haec igitur apud utrumque scriptorem in universum quidem simili modo narrantur, sed si singulas res spectes, prorsus diversa sunt.

Deinde Liv. XXX, c. 25, 11—c. 28 ex annalibus descripta esse apparet. Hannibal praetereundo ad Leptim classem appulisse dicitur: XXX, 25, 11; cui repugnat XXX, 29, 1 ubi eum Hadrumetum in terram egressum esse audimus (cfr. U. Becker, de historia belli punici secundi quaestiones praeparativae, p. 187). Liv. XXX, c. 26, 1—4 ex Polybio non esse conversa, cum multae aliae causae indicant, tum quae c. 26, 3 de Sopatro et de Macedonum auxiliis afferuntur, de quibus infra plura dicemus.

Ea autem quae lib. XXX, c. 29 sq. apud Livium leguntur, quam maxime cum Polybio consentiunt, paucissimis rebus exceptis. P. XIV, c. 3—c. 19. Polybius igitur XIV, c. 4, 9 narrat, Baebium legatum Scipione absente jussu imperatoris Carthaginiensium legatos domum misisse, dum Liv. XXX, 25, 10 ipsum Scipionem hoc fecisse dixit. Liv. XXX, 33, 6 milites Hannibalis Bruttii afferuntur; quae signa militaria, quot elephanti caesi captique essent L. XXX, 35, 3 accurate exponitur; nihil de omnibus his rebus Polybius. Sed haec leviora; summi autem momenti est, quod Livius XXX, c. 33, 6 in acie Hannibalis legionem Macedonum commemorat, quam Nissenius recte dicit, non sine aliqua causa a Polybio omissam esse. P. XIV, c. 11. (Nissen p. 123). Sed Livius hoc sibi non finxit; in fonte suo inerat; jam XXX, c, 26, 1—4 de hac Macedonum legione locutus est, atque XXX, c. 42, 6 iterum Sopatrum, e propinquis et purpuratis regis, in Africam transiisse narrat. Sed uterque locus ex annalibus desumptus est; ac res ipsa num vera sit, quam maxime dubium. Nam si vera erat, majestas populi Romani postulabat, ut extemplo bellum Philippo indiceretur, neque causa erat, cur senatus callide omnes occasiones ad Phillippo bellum inferendum conquireret; Philippus autem anno a Ch. 205 pacem fecerat cum Romanis, ac per totam vitam id semper quam maxime cavebat, ne populum Romanum nimis in se acerbaret. Itaque, si Macedones in exercitu Hannibalis erant, injussu regis militabant, ac totam hanc narrationem ex contumeliosis illis dictis et falsis criminationibus ortam crediderim, quibus tum populum Romanum in regem Macedonum instigabant. Sed ut utest, id certe apparet, etiam

si consensus inter Livium et Polybium in hoc libro multo major etiam existat, quam nunc, hanc unam rem sufficere, ut Livium ex Polybio non descripsisse contendamus. Accedunt alia; Liv. XXX, c. 37, 6 praeter condiciones pacis, quae cum Polybio consentiunt, etiam indutiarum condiciones afferuntur, quas ille non habet; atque XXX, 36, 8 dicitur Vermina, filius Syphacis, primis Saturnalibus victus esse, quod a Polybio alienum fuisse putamus.

Finis deinde libri XXX. Liv. annales fere semper fontes profitetur; prodigia c. 28, 7—11; ludi celebrati, c. 28, 11—12; Claudii infelix expeditio; c. 39, 1 3; comitia frustra indicta, c. 39, 4—5; pontificis mors, c. 39, 6; ludi instaurati, c. 39, 7—8; creationes magistratuum c. 40, provinciarum sortitiones c. 41; legationes Macedonum et Poenorum c. 42, — c. 43, 9 certissime ad annales pertinent. XXX, 43, 10—13.

Videmus igitur, etiam in rebus Africae narrandis Livio eundem fontem esse, quem Polybio, quia summus ille rerum verborumque consensus, conjunctus cum nonnullis discrepantiis aliter omnino explicari non potest. cfr. Liv. XXX, c. 3, 8—10 = P. XIV, 1, 7. Liv. XXX, 3, 5 = P. XIV, 1, 9. Liv. XXX, 4, 1—4 = P. XIV, 1, 11—13. Liv. XXX, 4, 10—12. = P. XIV, 2, 1—4. Liv. XXX, 4, 4—5 ± P. XIV, 2, 6—7. Liv. XXX, c. 5—c 6 = P. XIV, c. 3, 4—c. 5. Liv. XXX, 7, 1—2. = P. XIV, 6, 1—5, etc.

Eadem igitur ratio, quae in rebus Hispaniae narrandis, etiam in rebus Africae inter Livium et Polybium intercedit; unde per se nascitur suspicio, has duas narrationes ad eundem autorem esse referendas. Quod ita se habere satis multa indicant. Scimus igitur, Livium rebus Graeciae ex Polybio, rebus Italiae ex annalibus haustis, omnia quae narranda erant, secundum locos, in quibus gerebantur, in certas partes distribuisse. Quid igitur mirum, si in rebus in Occidente gestis tertium fontem fere semper sequitur? praesertim cum hae res omnes unius viri auspiciis gestae essent? Nonne Livius ita fere facere debebat, si sibi constare volebat? Praeterea vero in libro XXX, saepius ad priores libros respicitur, neque in rebus magnis, sed in rebus vel minimis, qua-

les omisisse ne doctissimo quidem scriptori opprobrio esset; id quod de libro XXIX jam demonstravimus. Itaque primum L. XXX, 3, 2 verbis »ut ante dictum est« respicit ad XXIX, 36, 2 ubi commeatus ex Sardinia venisse narratum erat. Deinde L. XXIX, 23, 7 dictum est, Sophonibam blanditiis Syphacem ad foedus cum Carthaginiensibus faciendum perpulisse; jam XXX, 7, 8 legimus, eam non, »ut ante« blanditiis, sed precibus Syphacem movisse, ut in fide maneret. XXX, 8, 8 respicitur ad res Celtiberorum in Hispania. XXX, 13, 4 non modo respicitur ad rem saepius commemoratam, Scipionem XXVIII, 17 cum Hasdrubale in hospitio Syphacis fuisse, sed additur, eum cum duabus quinqueremibus venisse, quod XXVIII, 17, 12 uno fere verbo appositum erat. XXX, 14, 3 in memoriam revocatur, Scipionem quondam in Hispania forma captivae non esse pulsum = XXVI, 50. Tum XXX, 14, 4 ipse Scipio Massinissam commonefacit, eum in Hispania ad se ad colloquium venisse = XXVIII, 35; atque in Africam venienti se commisisse: = XXIX, 29, 4. alia. —

Accedit, quod narrandi genus prorsus idem est, quod in rebus Hispaniae inveneramus in libris Liv. XXVI—XXVIII; aeque a Polybio atque ab annalibus diversum. Res bene atque dilucide exponuntur; sed causae et consilia imperatoris non bene semper nota sunt; nonnulla aliter quam apud Polybium et minus bene quidem quam apud eum narrantur; in rebus etiam summi momenti, sicut in legione illa Macedonica L. XXX, 33, 6. Itaque non habet fons Livii, quae de colloquio Hasdrubalis et Syphacis apud Polybium XIV, 3 narrantur, in quo de summa belli agunt; non habet, quae Polybius XIV, 6 de consiliis Poenorum affert. Liv. XXX, 29, 6 dicit, incertum esse, utrum sua sponte an publico consilio Hannibal cum Scipione sit collocutus; Polyb. XV, 5, 8 sua sponte factum esse; Liv. XXX, 25, 5 dicit, incertum esse, utrum Hasdrubal jussu senatus an sine publica fraude legatos Romanorum aggressus sit; prorsus aliter Polyb. XV, c. 2, 5 sq.

Sed quantopere fons noster differat ab annalibus, intellexeris, si pugnam apud Zamam Liv. XXX, c. 29,—c. 35 compares cum descriptione proelii, quo Mago victus est. L. XXX, 18.

Deinde vero regionum aliarumque rerum nomina Livii autor non ita raro aut accuratius aut aliter exponit, quam Polybius, id quod etiam in libris XXVI—XXVIII vidimus. Quod etiam in librum XXIX cadere, jam supra exposuimus maximeque XXIX, 5, 1 ubi urbs Savo non nominatur quidem, sed eam inter Ingaunos Ligures Genuamque sitam esse audimus. Quodsi vero Liv. XXIX, 29, 6—33 ad nostrum fontem pertinere putamus, quantam tum cognitionem rerum, terrarum, hominum in hoc autore fuisse dicamus? Sed etiam L. XXIX, 34, 6 urbs Salaeca nominatur, de qua ne nos quidem compertum aliquid habemus; XXX, 7, 10 Obba urbs affertur, quam Polybius XIV, 6 Abba dicit; XXX, 8, 4 magni campi; XXX, 9, 11—12 Tunetis situs, Carthaginis ipsius respectu habito, accurate describitur; XXX, 10, 9 Rusucmon portus, prorsus ignotus ceteroquin, commemoratur; XXX, 11, 3 Cirta oppidum nominatur; quae XXX, 16, 4 de sanctiore illo consilio triginta hominum apud Carthaginienses narrantur, quam maxime memorabilia sunt; XXX, 24, 6 insulae Aegimuri situs in ipso portu urbis et Calidae Aquae describuntur; XXX, 25, 4, flumen, quod apud Polybium XV, 2 Macra est, Bagradas vocatur; XXX, 29, 2 fons noster scit, urbem Zamam quinque dierum iter a Carthagine abesse; XXX, 29, 9 urbem Narragaram habet, quam Polybius XIV, c. 5, 14 Margaron apellat; XXX, 33, 4 dicit, Hannibalem 80 elephantos in acie habuisse, quot nunquam antea fuissent; Polybius XV, 11, 1 nihil de hac re.

Haec de regionibus Africae; sed non minus bene, quam libri 26—28 etiam libri 29—30 de iis rebus instructi sunt, quae apud Romanos geruntur; et accuratius quidem nonnunquam, quam ipse Polybius. Praetores Sardiniae et Siciliae: Lentulus XXX, 24, 5 et M. Pomponius XXIX. 24, 8; legati, qui ad Carthaginienses mittuntur XXX, 25, 2 L. Baebius, M. Servilius, L. Fabius afferuntur, quorum unum Polybius XV, 1, 3 Sergium vocat. XXX, 33, 2 Laelium antea legatum, eo anno ex senatus consulto extra ordinem quaestorem factum esse, praetereundo commemoratur. XXX, 36, 8 Vermina primis Saturnalibus victus esse dicitur; XXX, 6, 8 non modo numerus captivorum accurate enumeratur, sed additur,

Scipionem arma omnia capta Vulcano conflagrasse; utrumque a Polybio alienum. Deinde quae XXX, c. 12—c. 15 de amore Massinissae, de ejus colloquio primum cum Laelio, tum cum Scipione, de morte Sophonibae afferuntur, tam accuratam et castrorum Romanorum et rerum Massinissae indicant cognitionem, ut non indigna videantur eo autore, cui L. XXIX, c. 29, 6—c. 33 debemus. Etiam quae L. XXX c. 15, 11—14 de Laelio, Massinissa, aliis, donis ornatis legimus, neque a Polybio solent afferri, neque scribi poterant, nisi ab homine rerum Romanarum perito. L. XXX, 16, 10—11 accurate prioris pacis condiciones a Scipione latae exponuntur; atque etiam L. XXX, 37, 6, indutiae cum Poenis, de quibus ne Polybius quidem loquitur. Eodem pertinent, quae de legionibus Cannensibus, quarta et sexta, dicta erant L. XXIX, 24, 11. —

Haec fere habuimus, quae de singulis rebus apud Polybium aliter quam apud Livium narratis, dissereremus. Ac primum quidem id dubitari non potest, quin utrique communis fuerit fons, quem Livius, sicut semper, ad verbum secutus est, et quem Polybius non modo in pragmatiam transtulit, sed correxit gravissimisque testibus adhibitis auxit. — In quo fonte dijudicando a similitudine Livii et Polybii profecti sumus; quam cum in solis Scipionis expeditionibus narratis invenerimus, jam apparet, quo jure dissertationi nostrae inscripserimus: de Livio Scipionis expeditionum fonte. Has omnes enim expeditiones ad unum autorem referendas esse, neque in duas vel tres partes esse dirimendas, nobis demonstravisse videmur.

Oritur igitur altera quaestio ac dicendum erit, qui fuerit autor ille, quod nomen habuerit, qua aetate scripserit. —

Ac primum quidem ea erunt exponenda, quae alii de hoc scriptore conjecerunt. Nuperrime igitur C. Peter in programmate Portensi 1863 de fontibus Livii scripsit, qui sententiam sequitur hanc: Livius in bello punico secundo Fabii Pictoris annalibus, ut fonte principali, non usus est:

1. quod Fabius uno loco (Liv. XXII, 7, 4) ad numerum quendam sua autoritate firmandum affertur. (Peter p. 55.)

2. Fabium, aequalem hujus belli, res non tam perverse exponere, neque tam varias conglutinare potuisse, quam apud Livium factum invenimus. (Peter p. 56.)

3. quae Fabius teste Polybio III, 8, 1 de regno Barcidarum dixerat, a Livio prorsus aliena sunt, quamquam ad totum bellum enarrandum summi momenti debebant esse. (Peter p. 57.) Contra Livius saepissime L. Coelium Antipatrum affert (cfr. p. 78), cujus fragmentis cum Livio comparatis Peterus demonstrari putat, praeter Polybium maxime L. Coelio Antipatro fonte Livium usum esse. —

Sed cum nos demonstraverimus, communem Livii et Polybii fontem per partes quasdam libr. XXVI—XXX Livii continuari, in aperto est, si Peterus unum locum ex his capp. ad Coelium pertinere demonstravit, totam quoque narrationem ad eum referendam esse. Ne igitur de ea quaestione dicamus, utrum C. Peter jure[42] in libris Liv. XXI—XXII Fabium usurpatum esse negaverit, necne, relegamus nos ad posteriores libros atque ipsius Coelii fragmenta spectemus. Atque de iis quidem fragmentis, quae ad Liv. libr. XXI—XXII referenda sunt, dicendum est, ea omnia fabellas quasdam continere, quae, iterum ac saepius repetitae, omni tempore quasi certam quandam formam induunt, in luminibus maxime quae dicuntur orationis, hinc igitur certum testimonium non satis facile repeti poterit. cfr. Peter. l. l. p. 79—80.

Sed haec praeterundo, ad posteriores libros pertinet Coelii libr. VII, frg. 28 (cfr. O. Meltzer de L. Coelio Antipatro belli punici secundi scriptore. p. 24.) apud Nonium II. p. 89: „*Ipse regis eminus equo ferit pectus adversum, congenuclat percussus, dejecit dominum.*" — In Livii decade tertia eadem res de duobus regibus affertur. XXVII, 32, 5 de Philippo: »Ibi equus pilo trajectus cum prolapsum per caput regem effudisset etc;« atque XXX, 12, 1: »Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis . . . . equo graviter

---

42) Cfr. quae Petero opposuit M. Buchholz: quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit. Dissert. inaug. Gryphswald. 1865. p. 10. ff.

icto effunditur capiturque.« Atque mihi quidem, nisi narrationem de Philippo rege e Polybio scirem haustam, dubium non foret, quin eam e Coelio desumptam contenderem; nam si in fontibus Livii statuendis verborum similitudinem sectari licet, in illa narratione plus est similitudinis, quam in hac. Quod cum fieri non posset, omnes fere homines docti Liv. XXX, 12, 1 e Coelio descriptum esse dixerunt. —

Cfr. C. Peter, l. l. p. 81. O. Meltzer, de L. Coelio Antipatro p. 24. Bujack, de Sileno, scriptore Hannibalis. Dissert. inaug. Regimonti. 1859. p. 11. Antonius Nauta: annales Academiae Lugdun. Batavae 1821, p. 48. Groen van Prinsterer ibid. p. 62. León de Closset, essai sur l'historiographie des Romains (extrait des annales des universités de Belgique 1847 p. 479) collato fere Appiano Libyka. c. 26.

Sed utrumque non recte. Coelius enim dicit: „*ipse*" regis etc.; neque dubitari potest, quin ille »ipse« Massinissa sit, quippe qui apud Appianum Lib. c. 26 Syphacem cepisse narretur. Sed Appianus quoque dicit: *τινά*, hominem ignotum, regis equum vulnerasse, postea autem Massinissam supervenisse et regem cum filio cepisse. Itaque ne Appianus quidem cum Coelio consentit; Livius autem omnium harum rerum prorsus est ignarus; immo legimus apud eum XXX, 12, 1: »Et vivus, laetum ante omnes Massinissae praebiturus spectaculum, ad Laelium pertrahitur.« Itaque, si Livio credis, Massinissa non solum Syphacem non cepit, sed ei capiendo ne interfuisse quidem videtur, et Syphacem tum demum aspicit, cum ad Laelium ducitur. Itaque hinc certe concludi nihil potest, neque magis ex altero fragmento (cfr. C. Peter l. l. p. 81) apud Nonium X. p. 508 »Coelius annali libro VII: »duos et septuaginta lictoris domum deportavisse fascis, quae ductoribus hostium ante soluerint ferri.« cfr. O. Meltzer. l. l. p. 23.

Quod conjungunt cum Liv. XXX, 28, 7: » non esse hodie tot fasces populi Romani, quot captas in caede imperatorum domum praeferre possit Hannibal.« Quibus in verbis nonnulla inesse similia, quis neget? Sed satis superque demonstratum est, leves illas similitudines esse fallaces; sententia autem sine dubio inter eas est referenda, quae

apud illius aetatis rhetores quam maxime tritae erant. Accedit, quod Liv. XXX, 28 ad fontem illum, de quo agimus, omnino non pertinet; itaque verba illa, etiamsi e Coelio desumpta essent, nihil ad rem. Sed accedunt alia testimonia, multo graviora, quae Coelium in omnibus his Scipionis expeditionibus Livii fontem non esse sinunt. H. Peter in libro, qui inscribitur: De fontibus Plutarchi in vitis Romanorum conscribendis. Halae. 1865, p. 52—53. 55—56 omnibus fere locis, qui in Livii decade tertia ad Fabium Maximum pertinent collatis atque cum Plutarcho comparatis demonstravit: Livio et Polybio[48]) et Plutarcho fontem fuisse communem rerum graecarum et romanarum pariter peritum ac latine scriptum. Cui homini docto de iis saltem partibus, quas ex decadis III Livianae libris posterioribus attulit, libentissime assentimur, ac maxime quidem de libro Livii XXIX, c. 6—9. et c. 16, 4—c. 22. In his enim supra verba graeca aliasque res ex graeco fonte desumptas inveneramus, itemque magnam rerum Romanarum peritiem. Haec igitur L. XXIX, c. 6—9; c. 16, 4—c. 22 Peterus ex L. Coelio Antipatro desumpta putat. Quod si verum est, (quod ego non dubito), quomodo tum expeditiones Scipionis in Hispaniam et Africam ex Coelio desumptae dici possunt? Inter illas enim et hanc de Plemminio narrationem quantum intersit, jam supra indicavimus. Nihil enim est in Scipionis expeditionibus, quod graecum autorem sapiat, nihil quod Fabianae parti eum favisse prodat. Illa autem, quae de Plemminio narrantur, optime cadunt in ea, quae a veteribus de genere scribendi Coeliano nobis tradita sunt. Scimus igitur, Coelium praeter ceteros fontes Sileno usum esse, (Cicero de divinatione I, 24, 49) invenimus autem verba graeca Liv. XXIX, 6—9; 16—22. Deinde fragmenta nos docent, eum somniis, miraculis, antiquitatibus aliisque illius generis rebus ad ipsam historiam non referendis annales exornasse cfr. fr. 42, 43, 44, 45, 46; 58, 61, 62, 40; 23, etc. ed. Meltzer; legimus

48) Miro quodam errore Polybium Peterus in hanc quaestionem intulit; Polybius enim propter aetatis rationem Coelio uti non potuit. cfr. M. Buchholz. Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii etc. usus sit.

autem apud Livium XXIX, 18, 3—7 narrationem de mira regis Pyrrhi morte propter spoliatum Proserpinae templum; et XXIX, 18, 16 miraculum quoddam, in bello Locrensium cum Crotoniensibus factum. Praeterea autem et Cicero (de orat. II, 12, 54 de legg. I, 2, 6 Brutus 26, 102) et ipsius Coelii fragmenta demonstrant, eum arte rhetorica annales expolivisse atque orationes addidisse. cfr. fr. 29; 27; 16. ed Meltzer. cfr. Léon de Closset, essai sur l'historiographie des Romains (annales des universités de Belgique 1847—48 p. 478—479). Apud Livium autem XXIX, 6—9, 16—22 intra pauca capita permultas orationes et rogationes leguntur: oratio Locrensium XXIX, 17—18; oratio Fabii XXIX, 19; oratio Metelli XXIX, 20, oratio praetoris XXIX, 21; oratio legatorum romanorum XXIX, 22, 4—6. Quod vero Cicero (de oratore II, 12, 54. de leg. I, 2, 6) Coelium vituperat, ut non satis perpolitum leni et aequabili tractu orationis viribusque agrestibus horridum, — inde fortasse orta est loquacitas illa, cum qua L. XXIX, 6 etc. fluunt. cfr. Weissenborn ad. XXIX, 6, 12.

Itaque si verum est, omnia, quae de Coelio nobis nota sunt, etiam apud Livium XXIX, 6. etc. inveniri, minus etiam fit verisimile, ei tantum autoritatis fuisse, ut Livius eum per magnam partem decadis tertiae sequi potuisset. Fabellas enim, somnia, miracula, quis in eo fonte reprehendat, quem in Scipionis expeditionibus usurpatum esse diximus? Non ita raro etiam Coelius a proposito videtur digressus, ut antiquitates, alia narrationi immisceret; (cfr. fr. 40, 58, 60, 61, 62. ed Meltzer. Léon de Closset l. l. p. 478) cujus rei in iis Livii partibus, de quibus nos agimus, nihil sane invenitur. — Sed etiam res falsissimas atque homini sobrio vix credendas Coelius afferre ausus est, quare jam lib. XXI, 47 Livius eum refutat, ut fabulantem. cfr. fr. 49 ed Meltzer. Quod magis etiam apparet ex Livii libr. XXIX, 25 et XXIX, 27 ubi Livius Coelii verba cum ironia affert atque maxime illud: »Volucres ad terram delapsos clamore militum.« cfr. fr. 55—56. Meltzerus annotat, se non intelligere, quomodo Coelius talia potuerit narrare, quod sane in Meltzero non est mirum, quippe qui Coelium summae fidei putet autorem.

Sed haec ipsa fragmenta indicant, quae scripserat, fuisse κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς πλήρη; atque utut de Coelio judicamus, eum in Scipionis expeditionibus non fuisse Livii fontem. Accedunt alia. Videramus supra, fontem Livii de quo agimus, eo maxime ab annalibus differri, quod rerum geographicarum sit peritus atque in omni narratione ad eos respiciat. Quod non item in Coelio fuisse videtur. Jam Nauta (annales academiae Lugd. Batav 1820—21) p. 17 annotat, eum regionum parum videri peritum; quod maxime apparet ex Liv. XXI, 47, 4—6, ubi inscientia regionis falsa affert atque a Livio, qui ut Patavinus, ejus regionis erat peritissimus, corrigitur. Etiam quae lib. XXVI, 11, 10—11 Coelius de itinere Hannibalis a Capua ad Romam facto tradidisse dicitur, satis mira sunt, sive Hannibalem iisse, sive rediisse hac via dicimus; indicant certe, Coelium accurate fortasse haec perscripsisse, sed non satis recte. cfr. Groen van Prinsterer (annales academ. Lug. — Bat. 1820—21) p. 54 55. cui assentitur F. Lachmannus II, 48. Deinde vero, quae Coelius de Scipionis transitu in Africam dixit, satis mira sunt. Scimus enim, Scipionem, cum Emporia peteret, vento Uticam delatum esse. Coelius autem Liv. XXIX, 27, 15 habet: »abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum.« Sed primum, qui dici possit classis ab Africa ad Aegimurum abripi, non perspicitur, cum insula Aegimurus (cfr. Liv. XXX, 24, 9) in conspectu Carthaginis sita sit; tum vero verba »correctum cursum« indicant, Scipionem tandem quo voluisset, pervenisse; quod falsum est. Quae omnia si contemplamur, confitendum erit, Coelium ne in rebus geographicis quidem satis certum fontem fuisse.

Sed cohaeret cum hac quaestione altera. Ii enim homines docti, qui magnam decadis tertiae partem ad Coelium referendam esse putabant, hunc scriptorem ideo permagni aestimabant, quod Silenum, quem optimum fontem dicebant, secutus esset. Similitudo autem Livii et Polybii inde orta esse credebatur, quod Livius Coelium; Coelius et Polybius Silenum usurpassent. cfr.: Nitzsch, v. Sybel's historische Zeitschrift 1864. p. 20—21. Museum rhenanum XXIII, p.

603 ff.; cujus sententiam magis explanavit: C. Böttcher quaest. criticae de fontibus Livii libr. XXI—XXII. Regimonti 1867. diss. inaug. — Atque cum in universum negari non possit, multa Graeca fuisse in Coelio, tamen ille tantum abfuit, ut Silenum ad verbum sequeretur, (cfr. Nitsch. v. Sybel. Zeit. l. l. p. 21) ut varios fontes admittere non dubitaret. Nitzschii vero sententia maxime nititur in loco Cicer. de div. I, 24, 49: »Hoc item in Sileni, quem Coelius sequitur, graeca historia est — is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est.« Solus Meltzerus de Coelio Antipatro p. 28 ad hunc locum adnotat, nihil nos cogere, ut verba »quem Coelius sequitur,« ad totum Coelii opus referenda putemus; ceteri omnes inde concludunt, Coelium semper quam maxime ad Silenum se applicuisse. cfr. Nitzsch, in museo rhenano l. l. p. 607. C. Peter, über die Quellen des XXI—XXII Buches des Livius p. 75. Bujack, de Sileno scriptore Hannibalis p. 5. Léon de Closset, essai sur l'historiographie des Romains. p. 478. alii.

Sed huic loco Ciceroniano opponendi sunt alii. Dionysius Halic. I. p. 64 habet: *Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιος Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν κ. τ. λ.*, unde jam Nauta l. l. p. 16 dicit, probabile fieri, Coelium etiam Fabio usum esse. Deinde Cicero de divin. I, 26, 55 testatur, Coelium cum Cn. Gellio et Fabio quam maxime consentire; res autem, quam Cicero affert, demonstrat Coelium aut Fabio aut fonte cum illo communi usum esse; qui certo Silenus non esse potuit. Sed nimis haec antiqua; ipsius Hannibalis res gestas videamus. Gellius igitur X, 24, 6—7 ex Coelio tradidit verba notissima Maharbalis post pugnam Cannensem, addito: »et historiam autem et verbum sumpsit ex origine M. Catonis.« cfr. Léon de Closset. p. 480—481.

Itaque certissimis testimoniis comprobatum est, Coelium complures fontes usurpasse; qua re cognita ei disputationi omne fundamentum tollitur, quae quidquid apud Livium e Coelio desumptum videtur, ad Silenum pertinere dicit. Nuperrime autem C. Boettcher (quaestiones criticae de

T. Livii libri XXI—XXII fontibus p. 10 — 13) nonnulla sibi videtur invenisse, quae Silenum fontem principalem Polybii in libro III. fuisse demonstrent. Dicit igitur, p. 10, nonnullas res apud Polybium tam accurate narratas esse, ut necessario ad testem oculatum pertinere debeant; Hannibalem autem semper primas partes agere apud Polybium; secundas tantum Romanos. Quare fontem Polybii esse testem oculatum eumque Poenum, id est Silenum. — Quae si vera essent, ex mea certe sententia nihil aliud demonstrarent, nisi a Polybio aut ejus fonte Hannibalem quasi omnium rerum cardinem descriptum esse; ut vero de fonte punico cogitemus, nihil nos cogit. Silenus autem sine dubio in omni narratione magis, quam probum historicum decet, Hannibali favit; cujus rei apud Polybium ne minima quidem pars est.

Fuit igitur Silenus in castris Hannibalis, quam diu fortuna passa est (cfr. Nepos Hannibal c. 13, 3) idemque Cicerone teste diligentissime res Hannibalis persecutus est; (de div. I, 24, 49) quibus verbis nihil nisi scriptoris diligentiam significari, recte Peterus l. l. p. 75 monuit. Itaque, si Silenus Hannibale familiariter usus est, non dubitandum erit, quin aeque ac Philinus (cfr. Polyb. I, 14) Carthaginiensium partibus nimis indulserit, quod in plerisque ejus aetatis scriptoribus aliquis reprehendat. Quae cum ita sint, sane nos decet, ut ad unum illum locum attendamus animum, ubi Livius Silenum affert: lib. XXVI, 49. »scorpiones majores minoresque ad LX. captos scripserim, si autorem Graecum sequar Silenum; si Valerium Antiatem, majorum scorpionum sex milia, minorum decem tria milia: adeo nullus mentiendi modus est.« Hoc igitur loco numerus LX. scorpionum, quem Silenus attulit, parum videtur probabilis in urbe florentissima, quae per tot annos Barcidarum armamentarium fuit, Carthagine nova; maxime autem comparantibus cum eo, quem Livius ipse XXVI 47 sequitur: catapultae maximae 120; minores 281; ballistae majores 23; minores 52; scorpionum vero tanta multitudo, quanta numerari vix potuit. (cfr. Pol. X, 19.) Itaque non sine aliqua veritatis specie dici possit, verba a Livio addita: »adeo nullus mentiendi modus est,« ad Silenum aeque pertinere atque ad Antiatem; nam ille

nimis diminuit, hic nimis auxit numerum. Potuit quidem numerus Sileni corruptus esse; sed id in aperto est, eum fuisse omnium, quos Livius traditos reperiebat, longe minimum, cum Valerii numero, maximo quem reperiebat, opponatur. Quare ex hoc uno loco, ubi Sileni nomen apud Livium est, certissime concludi debet, eum in rebus Hannibalis narrandis a veritate nimis recessisse; quod ei opprobrio vetere nemo cupiet, cum hoc vitium omnibus ejus aetatis scriptoribus commune sit, ut partibus suis nimis faveant. Sed jam inde apparet, res a Scipione in Hispania et in Africa gestas, quales a Polybio et Livio narrantur, ad ejusmodi fontem referri non posse. Consentit autem nobiscum Bujack l. l. p. 7—8, qui Silenum laudatorem Hannibalis dixit[44]).

Quae sententia magis etiam eo confirmatur, quod Coelium fabellis abundare vidimus. Qui si in magna historiarum parte Silenum sequebatur, certe fabularum illarum multitudinem ex Sileno hausit, id quod Cicero de divin. I, 24, 49 testatur. Quae cum ita sint, non sine causa C. Peter (Quellen des Livius p. 75) videtur exposuisse, non multum inter Chaereae et Sosili opus interesse et Silenum.

Accedunt alia. G. Bujack, (de Sileno, scriptore Hannibalis p. 32) collatis Cornelio Nepote (vita Hannib. c. 3) et Cassio Dione (ed Becker I, p. 56, 10.), quos multa ex Sileno hausisse putat, utrumque nonnullas res afferre vidit, quas Polybius ut falsas refutat. P. III, 47—48; maxime III, 48, 6. Itaque si Appianus, Nepos, Cassius ex Sileno falsa hauserunt atque si Polybius in Silenum, quamquam nomine non allato invehitur, omnes concedent, ejus historias non semper magni pretii fuisse. —

Idem Bujack p. 29 sibi videtur demonstrasse Appianum in Annibiacis minime, magis in Hibericis, maxime in Libycis Sileno fonte usum esse. Quod si verum est, id quod nunc non quaeritur, certe inde apparet, Silenum neque Livii neque Polybii fontem esse. Nam etiamsi Appianus non omnia ex Sileno desumpsisse putandus est, tamen ubique et

44) Cfr. quae in ephemeride »philologischer Anzeiger,« ab E. de Leutsch una cum Philologo edita, exposuimus. Nr. 2; p. 55 ff.

in omni historiarum parte tot tantisque vitiis laborat, (cfr. Bujack p. 24. ann. 3) ut bellum Punicum secundum ab eo ex bono autore non haustum esse appareat.

Sed haec hactenus; quamquam nonnulla addi possunt. Id certe apparet, Silenum neque Polybii neque Livii esse fontem, quod apud Livium jam inde sequitur, quod in iis partibus, de quibus nos agimus, neque verba neque sententiae graecae inveniuntur. cfr. Nitzsch, in museo rhenano. XXIII p. 605.

Jam igitur restat, ut de Nitzschii sententia dicamus, quam ille nuperrime in museo rhenano XXIII, p. 603 sq. proposuit, quamquam omnia adumbravit magis, quam demonstravit. Negat igitur nobiscum homo doctissimus, Coelium in posterioribus decadis tertiae partibus esse Livii fontem; sed dicit, Livium in his libris multa ex Valerio Antiate desumpsisse; consensum vero Livii et Polybii inde ortum esse, quod Valerius Polybii pragmatiam secutus sit. Quam sententiam eo confirmari, quod in nonnullis locis expeditionis in Africam maxime, post enarratum proelium aliquod capta signa recenseantur, quae afferre unius Valerii moris fuerit. —

Sed liceat nobis, paullo aliter de his rebus sentire. Ac primum quidem, cum Nitzschius non satis indicet, quibusnam in libris et locis Livii Valerium usurpatum putet, (si p. 605, ann. 9. spectes, eum a libro XXIII incipere opineris) sed in universum de »posterioribus libris« agat, — nos causa extrinsecus petita, a libro XXV decadem dividamus. — Dicit igitur Nitzschius p. 604 in posterioribus libris Valerium saepius nominari, rarius alios scriptores. Atque in universum quidem Valerius in decade tertia septies affertur. XXV, 39, 14. XXVI, 49, 3—4. XXVIII, 46, 14. XXIX, 35, 2. XXX, 3, 6. XXX, 19, 11. XXX, 29, 6; Coelius Antipater autem novies affertur: XXI, 38, 6; XXI, 46, 10. XXI, 47, 4. XXII, 31, 8. XXIII, 6, 8. XXVI, 11, 10. XXVIII, 46, 14. XXIX, 27, 13; XXIX, 35, 2. Sed in libro XXX Valerius ter nominatur, Coelius nunquam; videamus igitur, qualia sint, quae ex Valerio mutuatus est. Liv. XXX, 3, 6. Antias dicit, ipsum Syphacem in castra Scipionis venisse, quod mendacium esse nemo negat; XXX, 19, 11 idem narrat, in parvo proelio 5000

hostium caesa esse, quod impudenter fictum esse ipse Livius dicit. XXX, 29, 6 Valerius tradidit, Hannibalem a Scipione proelio victum, in quo 12,000 hominum caesa essent, legatum cum 10 aliis in castra Scipionis venisse; quod non minus impudenter fictum videmus esse. Habemus igitur intra pauca capita tres res, quarum unam ut non verisimilem Livius praetereundo affert, alteram se non credere ait, tertiam impudenter fictam dicit — quis itaque serio contendat, eum in his ipsis capitibus talem autorem, quem »impudentem« dicit, maxime secutum esse? Atque hoc quidem loco in memoriam erit revocandum, Livium per omnes decades nunquam Antiatem ut hominem bonae fidei afferre, sed semper tales res ab eo traditas commemorare, ut expeditionem bene ac dilucide narratam ex eo haustam esse vix quisquam putet. —

Deinde vero Nitzschius p. 605 addidit, solum Antiatem signa in proeliis capta enumeravisse, quod in libro XXX saepius, in libris XXI—XXII nunquam inveniatur. Itaque omnes locos Livii, in quibus signa capta leguntur, ad Valerium esse referendos. — Sed primum nulla causa excogitari poterit, cur ceteri annalistae libris magistratuum inspectis signa capta in opus suum inserere noluerint? Quod XXX, 30, 6. et. 35 et 36 signa afferuntur; in libris XXI—XXII autem non leguntur, nihil aliud inde apparet, nisi fontem, quem Livius in his libris sequebatur, talia non habuisse. Sed Nitzschium erravisse unus locus Livii demonstrat. L. XXVI, 47, 6—8 Carthagine nova capta ingens apparatus belli recensetur, et *signa militaria* LXXIV; quem numerum in tanta urbe nemo nimium dicet. Hunc autem locum, quem Nitzschius omisit, non ex Valerio sumptum esse, L. XXVI, 49, 5 demonstrat, ubi Antias inter eos nominatur, qui aliter quam Livius totam rem narraverant; maxime quod Antias Arinen punico praesidio praefuisse dixerat; Livius Magonem. —

Etiam numerus tormentorum captorum, quem Livius sequitur, a Valerio diversus est. Quae cum ita sint, certissime constat, ex illis signis captis nihil concludi posse, cum complures scriptores ea referant[45]).

45) Haec quoque aliquo modo sibi repugnant: Nitzsch. l. l. p. 600:

Sed accedunt alia. Nitzschius putat, Valerium Polybio usum esse; Livium Valerio; unde factum esse, ut in posterioribus decadis tertiae partibus Livius ad verbum fere cum Polybio consentiat. Quod omnibus in locis atque in unoquoque scriptore vix credendum esse, jam C. Peter de fontibus libr. XXI—XXII Liv. p. 3. p. 11 dixit. Quanto minus vero credendum erit in Valerio Antiate! Qui si Polybium secutus esset, facere non potuisset, quin multa ejus generis, sicut L. XXX, 3, 6. XXX, 19, 11. XXX, 29, 6. XXV, 39. XXXVIII, 23. etc. addidisset; neque ullo modo tantus consensus inter Livium et Polybium potuisset existere, praesertim cum Livius ipse quoque verba saltem fontis sui paullum mutare solebat. Deinde vero, quam maxime est dubium, num Valerius pro suo scribendi genere Polybium omnino potuerit usurpare; nam sine dubio ille non referendus est inter autores populo gratos.

Itaque cum nullum certum testimonium exstet, quo Valerium Polybio esse usum indicetur, sed Livius aliique scriptores ei saepius exprobrent, quod historicis, quae dicuntur, testimoniis fidem non habuerit, (cfr. Krause, vitae et fragmente veterum historicorum Romanorum. Berolini 1833. p. 268) nemo certe affirmare poterit, eum Polybii pragmatiam esse secutum. — Quibus dictis id mihi apparere videtur, non magnum fructum ad nostram quaestionem rediisse ex iis, quae ceteri de fontibus libr. XXVI—XXX scripserunt; ni fallor ob eam maxime causam, quod semper fere a libris XXI—XXII exibant. Itaque si exponere conamur, quid nobis de communi illo fonte Livii et Polybii videatur, primum erit statuendum, non refugi posse ad ignotos scriptores, quorum autoritas aut dubia aut merito suspecta est. Tantum enim inter Livium et Polybium vidimus existere consensum, et rerum et verborum, ut nisi ex bono autore ad quem ne Polybio quidem permulta erant addenda, narrationes non esse haustas putaremus. Quare non minus quam Silenum

---

Das namentliche Citat beweist nichts für die Benutzung der Stelle, wo es sich findet, idem p. 608. sed p. 604. Auf die Herkunft dieser Stücke müssen uns die am meisten citirten Autoren namen führen.

etiam Sosilum, Chaeream, (cfr. Polyb. III, 20. Cor. Nepos, vita Hannibalis c. XIII.) ignotos illos Xenophontes (cfr. Diogenes Laert. II, 59. Suidas. s. v. Xen. C. Müller, fragm. histor. graec. t. III; p. 101—102) Eumachum (cfr. Athenaeus XII p. 577 A. C. Müller, ibid. p. 102) rejicimus. Quo facto parvus est numerus eorum, qui nobis restant, qui quo longius a belli Punici secundi temporibus recedimus, eo magis semper diminuitur. (cfr. Nitzsch, in mus. rhenan. XXIII, p. 607.) Atque eorum quidem, qui ante Polybium scripserunt, de L. Cincio Alimento parum constat; (cfr. A. Krause, vitae et fragmenta vet. hist. p. 63—83) quare omnem de eo disputationem ab hoc loco removemus[46]. Neque magis Q. Fabium Pictorem, qui unus restat, Livii libr. XXVI—XXX et Polybii fontem puto. (cfr. C. Müller, frg. hist. III, p. 89—91.) Etenim prorsus nescimus, quo anno desierint ejus annales, et num bellum punicum usque ad finem narraverit. (cfr. A. Krause l. l. p. 41 ff.) Deinde vero, ut est Fabius antiquissimus annalista, quamquam Livii librorum XXI—XXII magnam partem ex eo desumptam putamus[47], tamen dubitandum erit num res tam remotas, quae in Africa et Hispania gestae erant, non solum tam dilucide, sed tanta regionum locorumque cognitione adhibita conscribere potuerit. — Sed quod maximum est, summum discrimen intercedit inter narrationem librorum XXI—XXII et earum partium libr. XXVI—XXX, de quibus nos agimus. Primum

46) Theo. Pluess, de Cinciis rer. Rom. scriptor. Bonn 1865. continet causam cur Th. Mommsen, röm. Geschichte I, p. 937. L. Cincii Alimenti opus „ein Machwerk aus augustueischer Zeit" nominet; cfr. Neues schweiz. Mus. 1866.

47) Iiis rebus, quas C. Petér die Quellen des XXI—XXII. Buches p. 55 ff. attulit, nondum depulsus sum de ea sententia, quin Fabium fontem communem putem. Cfr. H. Peter, die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreib. der R. p. 55—56. C. Boettcher, de Livii libri XXI —XXII fontibus. Nam si Polybii fons testis oculatus erat, Sosilus afferri potest, qui in eodem honore, quo Silenus, in Hannibalis castris fuit; (cfr. Corn. Nepos Hannibal. XIII) et Cincius Alimentus. cfr. Livius XXI, 38. cfr. etiam, quae Magnus Buchholz disputavit: Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit. Gryphs. 1865: et Nissenium, qui nobiscum facit: Kritische Untersuchungen; p. 102 etc.

enim supra demonstravimus, omnes illas expeditiones Scipionis ad unum fontem pertinere, in quo nihil inveniatur, quod iis, quae antecedunt, repugnet, sed semper ad antecedentia respiciatur, omniaque uno tenore, ut ajunt, perscripta sint. Contra libri XXI—XXII diversis locis tam diversam autoritatem prae se ferunt, ut permultas fontes in eos collatos putarent. cfr. Lachmann, II, 29, 33; 35; 37; 46. etc. Quare Nitzschius ad eam sententiam pervenit, ut Fabium, quem olim fontem horum librorum putabat, nihil nisi pugnas nonnullas conscripsisse diceret. (Q. Fabius Pictor, über die ersten Jahre des hannibalischen Krieges; allgem. Monatschr. f. Wiss. w. Lit. Kiel 1854. v. Sybels historische Zeitschrift. 1864. Bd. 11. p. 20.) Deinde vero fabellis, dictis, prodigiis tota narratio exornata est; sicut XXI, 22, 6 somnium Hannibalis; XXI, 37, 1—4, acetum ad rupes putrefaciendas; XXI, 53, 3—6; XXI, 54, 3—5: colloquia Scipionis et Sempronii, Magonis et Hannibalis; XXI, c. 58 mirum illud iter Hannibalis in Apeninum; XXI, c. 62 prodigia; XXII, 1, 8 iterum prodigia, et XXII, 3, 10 prodigia in Flaminii castris; deinde, ne plura afferamus, quae XXII, 50—52 post pugnam Cannensem facta legimus. — Fons igitur librorum XXI—XXII abundat omnibus rebus, quibus tum historias exornari putabant: orationibus, dictis, prodigiis etc. Etiam proelia poetica quadam ratione describuntur, singulis ducibus non solum rationis bellicae, sed certaminis quoque principibus factis; sicut Scipione, Flaminio, Aemilio Paulo aliis. — Sed nihil harum rerum omnium invenitur in fonte expeditionum Scipionis XXVI—XXX; proelia satis dilucide, nullo poetico apparatu adhibito describuntur, quod maxime apparet, si pugnam Zamensem Cannensi opponis. In hac enim Livii ars rhetorica (aut ejus fontis) copiarum distributionem, locorum situm, quasi obscuravit; in illa omnia sane et jejune exposita, quam maxime cum Polybio consentiunt. Res mirabiles vero adeo nullae sunt, ut in Hispania et Africa omnino videantur non accidisse, quamquam et ex Livio XXVI, 19, 6—9; et ex Appiano Hiberica c. 21—22 concludi debet, satis multa mirabilia de Scipione potuisse narrari [48]. cfr.

48) Hartung, Religion der Römer. Bd. I. p. 250—251.

Polyb. X, 3, 12. Haec igitur paucitas jam satis indicat, fontem libr. XXI—XXII ab expeditionibus Scipionis esse aliquo modo diversum, quod jam Nitzschius, quamquam alio modo dixit. (in museo rhenan. XXIII. p. 604—605.) —

Sed si pergimus in Livii fonte, quo in Scipionis rebus usus est, contemplando, eum sine dubio fuisse latinum invenimus. Quod non solum in scriptore Latino verisimile est et non modo inde apparet, quod graecis verbis caret, sed certis testimoniis comprobatur. Supra igitur vidimus, solum Livium in pugna Zamensi legionem Macedonicam nominare; XXX, 33, 6. Sed constat, Macedones, si qui apud Hannibalem erant, injussu Philippi militasse; Romani autem Philippo objiciebant, eum milites misisse, neque veritatem hujus criminationis demonstrare poterant. Itaque apud annalistas, qui Liv. XXX, 26, 8 et XXX, 42 conscripserunt, hanc legionem commemoratam videmus; apposito XXX, 26, 3: socios populi Romani, id est, inimicos Philippi, hoc renuntiavisse. Qui nuntius, cum non vera afferret et ab hostibus Philippi oreretur, apud autores in Philippum infensos maxime et legebatur et repetebatur; id est, apud Romanos. Etiam illud, quod XXX, 36, 3 „legio Macedonum" dicitur, addito 4000 homines fuisse, qui numerus legioni fere est par, (XXX, 42, 7) suspicionem movet, Romanum esse fontem; nam phalanx Macedonica ex manipulis componebatur, quorum unusquisque 1000 fere homines erant. (cfr. Köchly u. Rüstow, griechisches Heerwesen. p. 236.)

Infra vero XXX, 37, 8 legimus: „pars exercitus cum omni equitatu *Saturnalibus primis* agmen (Verminae) aggressa, —" victoria igitur de Vermina reportata non praetereundo, sed ita, ut a tota narratione separari nequeat, ad prima Saturnalia refertur; quod apud quem alium, nisi apud scriptorem Romanum legeremus? Idem quadrat in XXX, 33, 2, ubi dicitur: „Laelium — cujus ante legati, eo anno quaestoris extra sortem ex senatus consulto utebatur auxilio — Scipio opposuit;" quae quis tam accurate exponeret, nisi scriptor Romanus? Accedit, quod nomina regionum et locorum saepe non talia habet, qualia apud incolas esse debebant, sed in formam latinam redacta. Sic XXVI, 44, 6 tumulus Mercurii,

XXVIII, 22, 1 flumen Baetis, addito incolas Certim id appellare; XXX, 24, 8 et 10 promontorium Apollinis et Calidas Aquas; XXX, 8, 3 Campos magnos alia. Etiam illud commemorare liceat, fontem nostrum et numerum et nomen legionum noscere, (quod nisi in scriptore Romano vix umquam inveniemus,) civiumque Romanorum legiones a sociis latinis et sociis navalibus distinguere. XXIX, 24, 11. XXIX, 24, 13. XXVI, 17, 1. XXVI, 19, 10. XXVI, 41, 2. XXVI, 48, 1; et 48, 3; XXVIII, 34, 1 etc.

Porro tota narratio Scipioni aliquo modo favet; quod cum non solum in Livio, sed etiam in Polybio inveniatur, certe etiam in communi illo fonte erat. — Omnibus igitur notum est, in Scipionis belli gerendi ratione nonnulla fuisse, quae aliquis ei opprobrio vetere potuisset. Ac primum quidem summae erat audaciae, ubi in Hispaniam venit, extemplo ipsam Carthaginem novam aggredi, neglectis Poenorum exercitibus. Quae res si non primo statim impetu successisset, ad summum periculum eum redigere potuisset. (cfr. U. Becker, De bello punico secundo etc. p. 126. Th. Mommsen, hist. Rom. I, p. 642.) Sed haec leviora atque ipso eventu sancita; illud vero non erit omittendum, quod Scipio cum Hasdrubale e manibus emisso ipsam urbem evertisse videretur, proficiscentem morari ne conatus quidem est. L. XXVII, 20, 1. cfr. annot. Weissenb. Mommsen, I, 643. U. Becker, l. l. p. 136—137. Deinde vero ducem, in quo omnium rerum summa posita erat, non decebat, quasi vagantem cum duabus navibus in terras hostium ignotorum proficisci; cfr. Liv. XXVIII, 17, 12. Mommsen I, 644. Becker. l. l.

Etiam disciplinam non semper satis severam servasse videtur; cfr. Liv. XXVI, 48, 11—12. XXVIII, 25, 8. — Quae omnia vituperanda esse, non nostrae aetatis homines primi viderunt, sed inimici Scipionis optime perspexerunt neque dubitaverunt, ei opprobrio vertere. Acerbissime Q. Fabius XXVIII, 42, 4—5. c. 42, 14 totam Scipionis belli gerendi rationem vituperat. Etiam seditio castrorum Sucronen-

sium Scipioni aliquo modo crimini dabatur. cfr. Liv. XXIX, 19, 4. XXIX, 19, 11. „natum eum ad corrumpendam disciplinam militarem —“ „externo et regio more et indulgere licentiae militum et saevire in eos.“ — Talia igitur habet fons, quem a nostro diversum et Scipioni infestum supra diximus; autor autem ille, cui Scipionis expeditiones debentur, haec non modo non habet, sed semper Scipionem summis laudibus effert, neque ita raro iis in rebus, quae ei ab inimicis maxime crimini tribuebantur; sicut de audacissima illa in Africam expeditione: Liv. XXVIII, 17, 1—3. XXVIII, 18, 6—10. cfr. XXVI, 19, 3. XXVII, 19, 6—7. XXVIII, 35, 6. Si fonti nostro credis, etiam quod Scipio Liv. XXIX, 35 ad id angustiarum redactus est, ut in promontorio Africae castra poneret, nulla re nisi vallo et navibus tutus, non propter bellum infeliciter gestum, sed ipsius Scipionis consilio factum videtur. XXIX, 35, 12 ff. — Etiam dolus ille, haud sane laudandus, quo contra Syphacem utitur, XXX, 4, crimini non datus est Scipioni, quamquam fieri posse et factum esse Liv. XXX, 4, 10 indicat „tollit indutias, ut *libera fide* incepta exsequeretur. —“ Quod non solum in Livio, sed magis etiam in Polybio invenitur. Qui cum saepius narrasset, Hasdrubalem, sibi iter in Italiam patefacturum, (Pol. X, 37, 1—6) pugnamque ad Baeculam sic descripsisset, ut Hasdrubal, quae sibi proposuerat, videretur esse assecutus, (Pol. X, 38, 8. 39, 7 sq.) (quod utrumque Livius non habet,) ex quo sane concludi debet, eum quid in Scipionis bellandi ratione vituperandum esset, bene cognitum habuisse — tamen ob has res Scipionem non vituperat, sed quae post pugnam facta sunt, eodem modo quo Livius narrat. cfr. U. Becker, Vorarbeiten p. 137. — Immo ubi Livius XXX, 4 timuisse videtur, num salva fide Scipio egerit, eum summis laudibus cumulat: Poly. XIV, 5, 15. *Ἦ καὶ πολλῶν καὶ καλῶν διειργασμένων Σκιπίωνι, κάλλιστον εἶναι μοι δοκεῖ τοῦτο τοὔργον καὶ παραβολώτατον τῶν ἐκείνῳ πεπραγμένων.* Itaque hinc quoque, quod narratio Livii et Polybii Scipioni favet, opinio nostra firmatur, fontem eorum fuisse latinum. —

Sed idem fons nonnulla affert, quae nisi qui ipse rebus gerendis interfuit et in castris Scipionis versatus est, vix

potuit narrare. Jam supra vidimus, eum nomina gentium, regionum, regulorum optime scire, atque quae in castris romanis acta essent bene exponere. Sed idem fons L. XXVI—XXX saepius commemorat vultum habitumque Scipionis cultumque ejus describit. Sicut L. XXVIII, 26, 14. „Nihil aeque eos terruit, quam praeter spem robur et colos imperatoris, quem adfectum visuros crediderant, vultusque, qualem ne in acie quidem ajebant meminisse.“ Eadem Polyb. XI, 27, 8. „*Ἔτι γὰρ ὑπολαμβάνοντες αὐτὸν ἀσθενῶς ἔχειν ὁι πολλοί, κἄπειτα παρὰ τήν προςδοκίαν αἰφνιδίως ἐῤῥώμενον θεασάμενοι, κατὰ τὴν ἐπίφασιν κατεπλάγησαν,*“ Etiam in colloquio cum Massinissa: L. XXVIII, 35, 6. „Praeter quam quod suapte natura multa majestas inerat, adornabat promissa caesaries, habitusque corporis, non cultus munditiis, sed virilis vere ac militaris, et aetas in medio virium robore, quod plenius nitidiusque ex morbo velut renovatus flos juventae faciebat.“ cfr. Liv. XXVIII, 18, 7. Polyb. XI, 24a, 4. Haec ipsa autem promissa caesaries cultusque corporis nimis graecus Scipioni opprobrio est. cfr. L. XXIX, 19, 11.

Deinde vero nonnulla, quae neque ad ipsas res gerendas pertinent, neque in libris magistratuum et in relationibus ad senatum perscripta erant, accurate exposita invenimus. Sic ratio, L. XXVI, 48, qua Scipio et Laelius discessionem militum tollunt, ultra fines castrorum vix poterat progredi, nisi narrata ab aliquo, qui rebus interfuerat. Idem quadrat in ea, quae L. XXVI, 51 de exercendis militibus legimus,: primo die in armis legiones IV milium spatio decurrisse; et quae secundo, tertio, quarto, quinto die gesta sint. cfr. Polyb. X, 20, 1—3. Idem dicendum erit de iis, quae L. XXVII, 19, 4—6 de contempto a Scipione regio nomine et L. XXVII, 20, 1 de belli consilio diversisque ducum sententiis, afferuntur. XXVIII, 21 munus gladiatorium et maxime quidem certamen Corbis et Orsuae ad summam belli non pertinent, sed 9—10 dilucidissime describuntur, ut ab homine qui in illis ludis spectator fuerit. Idem quadrat in L. XXVIII, 25—27, ubi seditio sastrorum Sucronensium accuratissime describitur, tamquam ab homine, qui in ipsis castris versatus sit.

Maxime vero, quae L. XXX, 12—15 de amore et morte Sophonibae exponuntur, huc pertinent; quae non in publico acta esse, sed arbitris remotis, cum per se intelligitur, tum c. 14. indicatur. Itaque cum res per se postularet, ut silentio praeteritetur, is sine dubio, qui eam tam accurate exponere potuit, in castris Scipionis aut ipse fuit, aut eorum testimoniis, qui omnibus his rebus interfuerunt, usus est. cfr. XXIX, c. 29, 6—c. 33. Polyb. IX, 25.

Polybius contra saepius de ea ratione loquitur, qua historiam conscribi oporteat. Dicit igitur XII, 27 tria opus esse: rationem *διὰ τῆς ὁράσεως* res cognoscendi; id est, ipsum iis interfuisse; alteram: *δι' ἀνακρίσεως* historiam conscribendi, id est: percunctantem; tertiam *διὰ τῶν ὑπομνημάτων*, aliorum commentarios sequentem; atque optimus quidem is erit, qui ipsis rebus interfuit. Quod cum non semper fieri possit, rationi *διὰ τῆς ὁράσεως* alias illas *δι' ἀνακρίσεως* et *διὰ τῶν ὑπομνημάτων* esse adjungendas. Quod Polybium quam maxime facere studuisse, ex multis locis patet. Saepe enim ipse rebus gerendis interfuit, P. XII, 5, 1—3. XI, 10—18. etc.; saepe locos, de quibus agendum erat, ipse visitavit; quod cum in omnibus rebus est notum, tum de Hispania et Africa apparet. cfr. P. X, 11, 4 de situ Carthaginis novae: *οὐ γὰρ ἐξ ἀκοῆς, ἀλλ' αὐτόπται γεγονότες* etc. etiam Plinium VIII, 16, 18 ubi Polybius Aemiliani comes in Africam fuisse traditur. Haec igitur *διὰ τῆς ὁράσεως* comperit, sed etiam *δι' ἀκούσεως* eum multa accepisse constat: P. X, 3, 2 ante omnes Laelium nominat, *διὰ τὸ δοκεῖν εἰκότα λέγειν* et IX, 25, 3 *Μασσανάσσου ἀκριβέστερον διήκουσα*; quod apud scriptorem, cum summis viris conjunctum per se intelligitur.

Sed etiam *διὰ τῶν ὑπομνημάτων* scripsit; id quod cum ex multis aliis locis, tum ex P. X, 9, 3 apparet, ubi aequalium testimonia, sine dubio scripta, et epistolam Scipionis ad regem Philippum commemorat, in quo Scipio exposuerat: *ὅτι τούτοις τοῖς ἐκλογισμοῖς ἐχρήσατο, οἷς ἡμεῖς ἀνώτερον ἐξελογισάμεθα.* Haec igitur, quae Polybius ipse audiendo, videndo, legendo conquisiverat, apud Livium desunt; cetera apud utrumque fere consentiunt, unde, si nulli alii rei credis, certissime apparet, iis communem fuisse fontem. Polybius enim

respicit ad eos scriptores, qui cum de summa rerum secum consentiant, ea quae ipse conquisiverit, non habeant, quamvis gravissima. P. X, 9, 2. *τούτοις οὖν τοῖς ἐκλογισμοῖς ὁμολογοῦντες* etc. Itaque Livius non Polybium est secutus, sed eundem fontem, quem ille, ad quem Polybio nonnulla videbantur addenda. Quod vero supra videramus, fontem Livii fuisse latinum, in Scipionis castris versatum aut ejus aequalem, optime etiam in Polybium quadrat. Nam illud quidem et propter vivendi rationem Polybii et propter ejus studia vix erit dubitandum, quin eorum libros, qui res, quibus ipsi interfuerant, ipsi perscripserant, omnes inspexerit. Quod ita se habere, apparet etiam ex Pol. X. 9, 3 *τῆς τῶν συμβεβιωκότων μαρτυρίας*[49]) et ex VIII, 4. XII, 28. Deinde vero XI, 31, 8 animus militum sic describitur: *παραπλησίους εἶναι πάντας ἐκ τῆς ἀπόψεως τοῖς ὁρῶσι τοὺς πολεμίους καὶ ὅσον οὔπω μέλλουσι διακινδυνεύειν*; quae ex descriptione alicujus, qui rebus interfuerat, fortasse desumpta esse, indicat l. XI, 12, 2, ubi Polybius ejusmodi ardorem, quem in exercitu Philopoemenis ipse viderat, similiter depingit. Sed accedunt alia testimonia multo graviora Pol. XII, 28, a, 8 dicit: *ἡ γὰρ τῶν παρεπομένων τοῖς πράγμασιν ὑπόμνησις αὐτὴ χειραγωγεῖ τὸν ἐξηγούμενον* et XII, 28, 3: *τὰ τῆς ἱστορίας ἕξει τότε καλῶς, ὅταν ἢ οἱ πραγματικοὶ τῶν ἀνδρῶν γράφειν ἐπιχειρήσωσι τὰς ἱστορίας (μὴ καθάπερ νῦν, παρέργως)* etc. cfr. XXIX, 6 a, §. 4 et 6. XXXIV, 10, 6. Strabo IV, p. 190. Hinc igitur apparet, Polybium et eorum testimonia, qui rebus ipsi interfuerunt, summi pretii habuisse atque sine dubio iis esse usum: et ejus tempore exstitisse historias quasdem *ἀνδρῶν πραγματικῶν*, qui res quas ipsi gesserunt, ipsi perscripserunt. Hannibal ipse graecos commentarios scripsit; (Cornelius Nepos vit. Hann. XIII, 2); idem fecerunt „testes illi oculati" Silenus et Sosilus; (Corn. Nepos Hann. XIII, 3); Romanorum scriptorum ejus aetatis notissimi sunt: Q. Fabius Pictor. L. Cincius Alimentus, *ἄνδρες πραγματικοὶ καὶ ἀξιόπιστοι*;

---

49) Agitur hoc loco de scriptis commentariis, nam nisi perscripti essent, Polybius scriptoribus opprobrio non vertere posset, quod eos non adiissent: cum ipsis autem aequalibus colloqui non omnes potuerunt.

ed ne ipse quidem Scipio res a se gestas, quamquam breiter, exponere indignatus est: cfr. Polyb. X, 9, 3. Idem de cipione Nasica Plutarchus (Aemilius Paullus XV, 4) affert. ccedit (Polyb. XL, 6) Aulus Postumius ille, quamquam non ane laude dignus, alii. — Habemus igitur satis amplum numeum eorum, qui aut ante Polybium aut ejus temporibus res, quibus interfuerunt, memoriae prodiderunt, neque mirandum erit, si praeter hos, quos cognitos habemus, alios fuisse dicimus, quorum ne nomen quidem exstat.

Sed accedunt alia. Videramus supra, fontem de quo agimus, incipere a Scipionis expeditione in Hispaniam et finiri ejusdem expeditione in Africam narrata. Itaque non totum bellum neque res in Italia gestas, amplexus est, sed partem aliquam belli, quae ad Scipionem Africanum ipsum pertinet. Quod optime congruit cum iis, quae de Polybii fontibus cognita habemus. Saepe enim Polybius queritur (XVI, 14) quod plerique scriptores nihil nisi partem aliquam belli conscribere sibi proponant (*οἱ κατὰ μέρος γράφοντες*) dicitque, se primum, quae omnibus in terris gesta sint, comprehendere. (cfr. Nitzsch, mus. rhen. XXIII p. 606). Atque VIII, 4, 3 saepius commemorat historiam expeditionis Romanae in Hispaniam aut in Siciliam; cfr. VIII, 4, 3 et 4, 5 ; 4, 8. Hae igitur partes belli separatim erant perscriptae, ante Polybium; atque sine dubio ab aequalibus belli; unde sequitur, ceteras quoque partes, in quas bellum punicum dirimitur, singillatim potuisse enarratari. Maxime vero res Africae et Hispaniae, cum ad unum Scipionem pertinerent, aptae erant, quae uno volumine conjunctae enarrarentur. Sed utut hoc est; Polybius nullius fere, nisi *τῶν κατὰ μέρος γραφόντων* libris uti potuit, quod eum fecisse, et mirus ille consensus cum Livio *in parte* aliqua belli punici et loci VIII, 4 comprobant.

Sed hic sine dubio erit consistentundum et ultra progredi esset summae audaciae. Nomen enim scriptoris ne conjectando quidem assequi possumus; non magis, quam ejus nomen, quem P. VIII, 4 de rebus Hispaniae scripsisse videmus. Itaque, ut breviter comprehendamus, quae supra exposita sunt, id erit dicendum: Expeditiones Scipionis, quales apud

Livium XXVI—XXX et apud Polybium X—XIV leguntur, inter se cohaerent, atque ad unum fontem pertinent; latinum, omnibusque rebus tam bene exstructum, ut a veritate nobis non multum aberrasse videamur, si eum aut ipsum in castris Scipionis fuisse, aut eorum, qui in his castris fuerunt, narrationibus usum esse dicimus. Polybius autem hunc scriptorem pro suo doctrina et diligentia nonnunquam correxit, gravissimisque testimoniis auxit. Num vero autor ille graeco an latino sermone usus sit, illud quaerere inutile est; fuit certe Latinus ac Livius eum latine perscriptum usurpavit; fortasse jam cum alius historici opere conjunctum. —